Sic Joannem Evangeliſtam ab Inſula Palmaria, quam
A vulgus Pathmos dicit, reducem memorat *Euſeb. lib. 3. hiſt. c.* 17. certos homines inſtinctu Spiritus S. demonſtratos, in clerum Epheſi delegiſſe.

Extant Epiſtolæ Gregorii VII. ad Suenonem Daniæ, & Olaum Norvegiæ Regem, quibus petit ingenuos adoleſcentes Romam mitti inſtruendos in moribus Chriſtianis.

Fuere olim in Eccleſia paſſim Scholæ Lectorum, & Cantorum, earumque curam Epiſcopi gerebant per Canonicos, & alios Clericos, vel Monachos: omnia Monaſteria, & Canonicorum Collegia ait *Molanus*, erant Virtutum Seminaria, & adducit Concilium Aquiſgranenſe *cap.* 135. & Hiſtorias plurium Epiſcoporum, qui etiam in ſuis ædibus honeſtis, ac probatæ indolis adoleſcentes nutriebant, & educabant in Chriſtianis moribus, ac diſciplina Eccleſiaſtica. Ita *Molanus l. 2. de Canon. c.* 42. Et addit. Immò multos habuit S. Lambertus in ſua Cathedra ſucceſſores, qui dum Canonici erant, celebres fuerunt Magiſtri ſcholæ Leodienſis. Inter eos Vvaſo celebratur, qui *apud Maburnum de Canonicis*, de Metropolitano ſuo Colonienſi videlicet Archiepiſcopo, ſcriptum reliquit: Ipſe, inquit, dominus Archiepiſcopus remota dominationis ſublimitate, per clauſtrum ſæpè deambulans, ſcholas viſitat ad ſtudia cohortans, & ſtudioſos magnificans.

B Pulchrè *Ledradus Archiep. Lugdun. epiſtola quadam ad Carolum Imperatorem*: Habeo ſcholas Cantorum, ex quibus plerique ita ſunt eruditi, ut etiam alios erudire poſſint. Præter hæc verò habeo ſcholas Lectorum, non ſolùm qui lectionibus exercentur, ſed etiam in divinorum librorum meditatione ſpiritalis intelligentiæ fructus conſequantur.

S. Vvolfgangus ante Epiſcopatum, adoleſcentes, quos erudiendos ſuſceperat, ſedulò non ſolum liberalibus diſciplinis, ſed etiam bonis moribus inſtruebat, & tenuis fortunæ diſcipulos corporeis fovebat alimentis. Epiſcopus verò crebro adoleſcentum tabulas vel ceras inſpiciebat, & pleroſque ex illis ad diſcendum excitabat beneficiis: deſides verò objurgabat: Juniores quoque Canonicos voluit ſcholæ ſtudiis intereſſe.

Verùm diu ante iſtos D. Chrysostomus, Scytharum, quos Ariana peſtis attigerat, conſuluit ſaluti Conſtantinopoli Eccleſia conſtituendo, quam Scythis, quorum ea in urbe magnus numerus erat, regendam, adminiſtrandamque per-
C miſit, quos & ipſe Chryſoſtomus per interpretes ſæpè erudivit, & in divinæ legis præceptis inſtituit. Quæ certe Scytharum Eccleſia Conſtantinopoli poſita nihil aliud, quàm quoddam Scythicæ gentis ſeminarium fuit, conſtabat enim rudes Scythas non niſi à ſuis excultis, & doctis Scythis poſſe adjuvari. *Theodoretus hiſt. Eccleſ. lib. 10. c. 5.*

S. Isidorus Collegium (illius exemplum, quod à ſingulis Epiſcopis erigi jubet Synodus Tridentina *Seſſ. 23. cap.* 18.) in Hiſpalenſi urbe, cujus Antiſtes erat, inſtituit, ubi adoleſcentes generis, ingeniique laude commandatos, & in iis D. Alphonſum, qui poſteà Toletanus fuit, & S. Brauſium, qui Cæſar-Auguſtanus creatus eſt Pontifex, mirabiliter erudivit.

Gregorius XIII. Pont. Max. miſit quoquoverſum [in Indias, in Angliam, Conſtantinopolim, Alexandriam Ægypti, Syriam, Palæſtinam, Babyloniam] operarios qui divino verbo, ipſo ſanguine, ac piis muneribus ad fidem, atque ad pietatem allicerent: ut verò non tam ſe ſuperſtite, quàm vivis abundè res tantæ conſiſterent, Seminaria Alumnorum libe-
D raliter inſtituit, altè id intelligens, quod Chriſtus dixit: Orate Dominum meſſis, ut mittat operarios in vineam ſuam, id videlicet ſpectans, quod ipſe Epiſcopus animarum noſtrarum Dominus Jeſu, vera ſapientia Patris, & verus Architectus fundamentum ponens, ac duo Seminaria condens, alterum 12. Apoſtolorum, alterum 70. Diſcipulorum per eandem Eccleſiam ſeminavit, & auxit. Itaque à Germanico orſus, quod centum Alumnis alendis Romæ inſtituit: deinde aliud, in eadem urbe Anglicum, Græcum, Maronitarum, qui è monte Libano devehuntur. Neophytorum item, & Hungarorum inſtituit, & perpetuis redditibus dotavit, aut firmavit. Inde quando ex antiqua ſtirpe Germaniæ ſui progenitores deſcenderant, has cogitationes etiam ad Germanica Seminaria fundanda convertit, unde in Boemia, in Moravia, in Pruſſia, in Lituania, ſed & Fuldæ in ipſo Germaniæ centro, quæ adhuc ſtant, cùm & Tranſylvania, in Belgio, & in Gallia, alia [quin etiam in ipſis Japonicis regnis] nonnulla poni juſſit, quibus redditus ex Europa attribuit.

De his Gregorii Seminariis, ita *Stephanus Fuccius*: Unus vos, inquit, lacerat, ò nocturni prædones, unus vos cruciat Gregorius, & excitatis per Germaniam, Galliam, Sarmatiam,
E Pannoniam juvenum Seminariis, tanquam aggeribus fidei, vias veſtris ſatellitibus intercludit, veſtris vos implicat retibus, & intra fines, ac parietes veſtros veſtris vos liberis, veſtris alumnis impugnat, neque verò unum ille, aut alterum vobis oppoſuit propugnaculum, ſed ſuum ſingulis penè gentibus exſtruxit. Prutenis, & Suevis Bransbergenſe, Vilnenſe Lituanis, Boemis Pragenſe, Moravis Olomucenſe, Auſtriacis Viennenſe, Græcenſe Stirincis: Dilinganum Germanis, Fuldenſe Saxonibus, Niſſipontanum Scotis, & Hybernis, Helvetiis Mediolanenſem, Britannis Bohemenſe, Claudiopolitanum Tranſylvanis, &c. *Hæc ille.*

Uſitatum paſſim ante pauca ſæcula, ut Canonici Regulares S. Auguſtini, & Benedictini Monachi, ac nonnulli alii, quos Fratres vulgus appellabat, inſtituenda juventutis curam ſuſciperent. Quibus ſucceſſere quibuſdam celebrioribus locis Religioſi Mendicantes.

Ferdinandus Caſtillus Dominicanus ſcribit, id S. Dominico fuiſſe propoſitum, ut non ſolùm Philoſophiam, & Theologiam ſui ducerent, verùm etiam inferiorum ſcholarum ſuſciperent curam, ad quas ipſi quoque laici confluerent, quòd intelligeret, hanc eſſe convertendis ad Deum civitatibus commodiſſimam viam. *Ant. Poſſevinus Bibl. ſelectæ lib. 1. c. 19.*
F
Sed omnes priores ſedulitate, & inſtitutionis juvenilis ſtudio ſuperat Societas Jesu, quæ orbis totius angulos percurrens, ex inſtituto ſuo habet, ut in præcipuis quarumlibet regionum civitatibus excitentur Gymnaſia, in quibus ad bonas literas, moreſque pios adoleſcentuli erudiantur. Exemplum accipe. Goa eſt Metropolis nobiliſſima Indiarum Orientalium, in ea per ipſam erecta eſt ſchola, ad quam confluunt undique è diverſis regionibus oriundi Brachmanes, Perſæ, Arabes Æthiopes, Armeni, Chaldæi, Abyſſini, Canarii, Gazarates, Dacanii, Malavares, & ex Indis qui ultra, & citrà Gangem ſedes habent, & qui Inſulas inhabitant ab Indico Oceano circundatas, ex ea prodentes innumeri alumni, & plurimos ad Chriſti cultum perducunt, & longè plurimos ad veram pietatem corroborant.

De quodam Sturmio viro genere, & virtute nobili, referunt Annales Germaniæ, quòd cùm Germaniam à literis, & pietate alienam, variiſque bellicis ſeditionibus agitatam vidiſſet, nec Germanæ juventutis indolem improbaſſet, quæ quales magiſtros haberet, tales ferè eſſet, morum doctrinæ, & pie- G
tatis officinas, hoc eſt, ſcholas optavit erigere, nec defuit voluntati facultas. Nam favente Carolo Magno, in vaſtas ſolitudines penetravit, Fuldenſeque Cœnobium bonis auſpiciis ædificavit, in eo quadringentos Monachos docuit, ex quibus multi qua erant eruditione, & ſcientia ex Græco ſermone in Latinum multa vertentes, Gymnaſium, atque ædes inſigni Bibliotheca nobilitarunt. Ne autem ſtudiorum, ſtudioſorumque moles tanta cõſideret, Caroli Imperat. & Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi liberalitas ſumma providit. Monaſterium enim quod à Fulda fluvio nomen acceperat, agris, poſſeſſionibus, prædiis, vectigalibuſque ampliſſimis uterque locupletarunt. Difficile explicatu eſt, quantos & quales viros Schola Fuldenſis enutriverit, ex qua velut ſapientiæ, eruditionis & optimorum morum pene tot Epiſcopi, Archiepiſcopi & Cardinales, mundo exhauſto quodammodo doctorum virorum ingeniis, prodierunt. Ex hoc Gymnaſio Summi Pontifices, Eccleſiarum Præſules, hinc ſummum imperium, Senatores & Conſiliarios, hinc cæteri Principes rerum ſuarum tutores, H
ac curatores petebant.

Carolus Borrhomæus Cardinalis, Archiep. Mediolanenſis, ut Eccleſia Mediolanenſis idoneos ſemper miniſtros haberet, inſtituit ampliſſimum Seminarium, ubi in literis, ac pietate juvenes educarentur. *Langecrucius de vita & honeſt. Eccl. 6. c.* 14

Hiſtoriæ referunt, Epiſcopos Leodienſes σεμνεῖα, hoc eſt, loca venerabilia, & ſcholas ad ſtudia, & bonas artes liberaliſſimè foviſſe, idque ex patrimonio D. Lamberti circiter annum Chriſti 1573. Sic floruit Leodienſis ſchola, ut ibi bonis literis invigilarent novem Regum filii, 14. Filii Ducum, 19. Filii Comitum: exceptis Baronum, Nobilium, & aliorum filiis, quorum immenſus fuit numerus. *Hedio in Chron. German.*

Anno Chriſti 1604. Joannes Miræus clavo Antuerpienſis Eccleſiæ manum admovere juſſus, providi naucleri officia exequebatur. Nam vix operi inſiſtere cœperat, cùm ſuæ fidei commiſſam naviculam, inter tot errorum procellas fluctuantẽ intuitus, nova quadã inſtitutione Seminarium Theologorum ab Anteceſſoribus vix aliter, quàm mente conceptũ plan-

plantavit, è quo mox epibatas, & claſſiariè educeret, qui non
A ad gubernacula tantùm, verum etiam ad clavum intrepidi adverſus Syrenum blanditias aſſiderent. Primum illius, indotati adhuc, moderatorem adhibuit Laurentium Beyerlinck, Theatri hujus Auctorem, quem Lovanio evocaverat: qui etiamnum ann. 1625. eidem Palæſtræ inſudat, & paucis illis annis, quibus præeſt, facilè centum alumnos ſacratioribus literis imbutos, ad Eccleſiæ illius caſtra emiſit: Atque ex parvis initiis; Deo incrementum dante, aliquale fundamentum induſtria, & vigilantia ſua poſuit, cenſumque auxit, quoad Eccleſiæ Antuerpienſis neceſſitatem ſublevandam alantur juvenes non pauci, & in morali Theologia inſtituantur.

Seminaria verò Cleri inſtituuntur in Concil. Toletano II. *cap.* 1. & Toletano IV. *cap.* 29. Eorundem meminit Vaſenſe II. *cap.* 1. & Turonenſe II. *cap.* 13. Et quia lubrica adoleſcentum ætas, niſi ad pietatem informetur, antequam vitiorum habitus eam poſſideat, ægrè in diſciplina Eccleſiaſtica perſeverat, S. Synodus Tridentina piè, & neceſſariò ſtatuit, ut ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Eccleſiæ, pro modo facultatum, certum puerorum, præcipuè pauperum, numerum alant, & diſciplinis Eccleſiaſticis inſtituant, quo-
B rum indoles, & voluntas ſpem adferat eos Eccleſiæ miniſteriis perpetuò inſervituros. Juxta hoc Spiritus S. decretum multa, laus Deo, multis in locis, ad communem Eccleſiæ cauſam promovendam, erecta ſunt Seminaria, in quibus bonæ indolis, & magnæ exſpectationis adoleſcentes in ſtudiis, & exercitiis pietatis enutriuntur.

Genebrard. in Chronol. teſtatur Parisiis 52. eſſe Collegia ab Eccleſiaſticis pleraque omnia conſtructa, & dotata, in quibus ſtudioſi nulla impenſa ſtudent.

Lovanii etiam plura ejuſmodi Collegia, uti & Duaci, in quibus honeſtis, ac ingenuis adoleſcentibus, ad annos aliquot, quoad cultioribus diſciplinis imbuantur, alimenta gratis præbentur.

Habet inſuper Diœceſis quælibet in Belgio Seminarium ſuum juxta Tridentinæ Synodi decreta, quo Epiſcopi ceu fonte quodam creditas ſibi oves verbi divini, & Sacramentorum diluvio per alumnos emiſſo irrigant, & operarios ad Domini vineam mittunt.

Quocirca nuper Matthias Hovius Archiepiſcopus Mechlinienſ. extremis teſtamenti tabulis ampliſſimos redditus Seminario à ſe olim Mechliniæ inſtituto reliquit, exiſtimans pa-
C trimonium Chriſti, quo titulo bona, quæ ſuperfuerunt modeſtæ (honeſtæ tamen) ſuſtentationi, appellare conſueverat; unde pauciſſima carni, & ſanguini impartivit: nec utilius, nec ſalubrius poſſe impendi: *Ex orat. ejuſd. funebri habita per L. Beyerl.*

SCHOLARUM LEGES.

Solemne eſt, ut Scholæ celebriores leges habeant, & ſtatuta, quibus ſe conforment Scholares. Quomodo olim in Pythagoræ Gymnaſio Silentium quinquennale Lex erat, alibi aliæ.

In Uratislaviensi Schola, non ita pridem inſtituta, tales leguntur marmori inciſæ.

Lex eſt, cui omnes homines decet obedire. *Martian. lib.* 11. *ff. de leg.*

Lex I. In primis adoleſcentes pietatis ſint ſtudioſi, certòque ſciant, ſine divini numinis invocatione nihil ſe in ſtudiis diligentia ſua promoturos.

II. Ceterùm ante præceptorum adventum diſcipuli hora
D conſtituta præſto adſint omnes, tarditas pro dimidia abſentia habeatur.

III. Venientes præceptores reverenter excipiant, abeuntes honore proſequantur.

IV. Præſentibus illis conſileſcant omnes: abſentibus ne perſtrepant.

V. Arma ſcholaſtica cuncti præparata ſemper in promptu habeant, ut dictata facilè, & celeriter excipiant.

VI. Inter prælegendum nemo garriat, ſed ſit attentus lectioni.

VII. Lectiones verò ſuas ſinguli aſſiduè meditentur.

VIII. Semper, & ubique loquantur Latinè, eique operam dent, ut & emendatè, & ſine vitio loqui diſcant.

IX. E ſchola ſine conceſſu præceptoris neque exeat quiſquam, neque abſit.

X. Dimiſſi verò ſimul templum ingrediantur omnes: atque ibi nemo rideat: nemo temerè circumſpectet, aut aliis incompoſitis geſtibus conſpiciatur: quin potiùs aſſiſtentes libro cantent attentè; minores quiete, & tacitè exſpectent: nec
E quiſquam indè exeat, niſi impetrata venia ab aliquo præceptore; in quorum numero & cantor, & aliqui hypodidaſcali, & ſynergi ſunt habendi; oratione verò finita domum ſe quiſque placidè recipiat.

XI. Per plateas, forum, vicos, aut urbis compita nemo clamabundus, aut citrà neceſſitatem oberret, ſurſumve, ac deorſum curſitet

XII. Obviis ſacerdotibus, magiſtratibus, ſenatoribus, civibus, cæteriſque viris gravibus, matronis primariis item, & virginibus, honorem debitum exhibeant.

XIII. Nunquam mentiantur: nemini maledicant; jurgia, & ſimultates vitent.

XIV. Quòd ſi quæ lis inter pueros oriatur, ad præceptores referant protinùs, ne adoleſcat.

XV. Impudica, & obſcœna nemo neque dicat, neque faciat.

XVI. In fluminibus, ſtagnis, lacubus (quia periculoſum eſt) nemo lavaturus emergatur.

XVII. Pexi, Loti, compti ſint, cùm domo egrediuntur, veſtituque non laſcivo quidem, ſed decenti, ac hone-
F ſto ornati.

XVIII. Epiſtolas, & ſtyli exercitationes, non oſcitanter, aut perfunctoriè, ſed accurato ſtudio, & diligentia curent: deque eo in omnes partes ſoliciti ſint, ut quæ ſcribunt à vernaculæ linguæ barbarie remota ſint, & ad Ciceronis, Terentii, &c. perſpicuitatem, copiam, elegantiam quamproximè accedant, ſintque præceptorum judicio, & comprobatione non indigna. Negligenter verò ſcripta pro non ſcriptis habeant.

XIX. In ſumma, honeſtatem, & ſtudium cuncti juvenes ſcholæ noſtræ, idque demandat ampliſſimus Senatus, diligenter colant: ut amabiles ſint, & gratioſi apud omnes, morum commoditate perficiant: ne corripiantur meritò, caveant: & virtutis, ac pietatis laudem, ut emereantur, ſtrenuè, ſedulòque contendant.

Alibi alias habent, quibus ſe conforment, qui Scholarum diſciplinæ ſe dedunt. Et præcellunt eæ, quas Gymnaſia Societatis Jeſu proponunt paſſim: quarum formulas his ſubjunximus.

LEGES STUDIOSORUM. G

Societatis Jesu.

I. Doctrina pietati jungenda.

Qui diſcendi cauſa Societatis Jesu Gymnaſia frequentant, intelligant, Deo juvante, non minus curatum iri pro viribus, pietate, cæteriſque virtutibus, quàm ut ingenuis artibus imbuantur.

II. Quæ cujuſque Schola.

Eam quiſque Claſſem frequentabit, quæ illi poſt examen à Præfecto fuerit aſſignata.

III. Confeſſio, & Miſſa.

Singulis ſaltem menſibus omnes peccata confiteantur, ac Miſſæ Sacrificio quotidie conſtituta hora: Concioni verò diebus Feſtis decenter interſint.

IV. Doctrina Chriſtiana.

Explicationi Catechiſmi ſingulis hebdomadis omnes interſint; ejuſque compendium addiſcant, ut à Magiſtris fuerit H
conſtitutum.

V. Arma in Scholam non inferenda.

Nemo ex noſtris diſcipulis Gymnaſium cum armis, gladiolis, cultris, aut aliis ejuſmodi, quæ pro locis, aut temporibus interdicta fuerint, ingrediatur.

VI. A quibus abſtinendum.

Abſtineant omninò à jurejurando, à contumeliis, injuriis, detractionibus, mendaciis, à ludis vetitis, à locis etiam noxiis, vel à Præfecto Scholarum interdictis; denique à rebus omnibus, quæ morum honeſtati adverſentur.

VII. Correctio ut adhibenda.

Intelligant in iis, quæ ad mores, ac ſtudia bonarum artium ſpectant, cùm præcepta, ſive admonitiones minùs proderunt, Magiſtros correctione uſuros: qui aut pœnas recuſarint, aut ſpem emendationis non oſtenderint, aut cæteris moleſti, ſive exem-

exemplo ſuo pernicioſi fuerint, ſciant, ſe ex ſcholis noſtris eſſe dimittendos.

VIII. Obedientia.

Omnes ſuis quique Magiſtris obtemperent: rationem verò ſtudendi ab illis præſcriptam, tum in ſcholis, tum domi diligentiſſimè ſervent.

IX. Diligentia, & aſſiduitas.

Seriò animum ad ſtudia, & conſtanter adiiciant; ſint in ſcholis maturè frequentandis aſſidui, in audiendis, & recolendis prælectionibus, cæteriſque obeundis exercitationibus diligentes. Quòd ſi quid minus aſſequantur, aut ſi quid dubitent, Magiſtrum conſulant.

X. Quies, ſilentium.

In ſcholis ne hac, illac divagentur; ſed in ſuis quiſque ſubſelliis, locíſque modeſtè, ac ſilentio ſibi, ac ſuis rebus intenti ſint; neque Schola egrediantur, niſi facta à Magiſtro exeundi poteſtate. Ne ſcamna, cathedram, ſellas, parietes, januas, feneſtras, neque aliud quidpiam pingendo, ſcribendo, ſcalpendo, aliave ratione deturpent, ſeu notent.

XI. Quæ fugiendæ conſuetudines.

Pravas, aut etiam ſuſpectas aliorum conſuetudines fugiant, cum iis tantummodò verſentur, quorum exemplo, & conſuetudine in literarum ſtudio, virtutumque proficiant.

XII. A quibus libris abſtinendum.

A libris pernicioſis, & inutilibus legendis prorsùs abſtineant.

XIII. Spectacula, & ſcenæ interdicuntur.

Neque ad publica ſpectacula, ludos, neque ad ſupplicia reorum, niſi fortè hæreticorum, eant; neque perſonam ullam in externorum ſcenis agant, niſi data priùs à Magiſtris, vel à Præfecto Gymnaſii poteſtate.

XIV. Pietas.

Sincerum animum, purumque conſervare, ac divinis legibus ſumma diligentia obtemperare nitantur: Deo verò, ac ſanctiſſimæ Virgini Deiparæ, cæteriſque Sanctis perſæpè, atque ex animo ſe commendent. Angelorum opem aſſiduè, precipuè verò Angeli cuſtodis, implorent. Modeſtiam tum alibi ſemper, tum in Templo, atque in Schola potiſſimùm ſervent.

XV. Vitæ exemplum.

In rebus denique, atque actionibus omnibus ita ſe gerant, ut facilè quivis intelligat, eos non minùs virtutum, vitæque integritatis eſſe, quàm literarum, doctrinæque ſtudioſos.

* Scholaſticus.

Quis? Ejusque Officium.

NOmen SCHOLASTICI uſurpatur veteribus pro viro eruditione, & eloquio præcellenti. Sic *Hieronym. l. de Scriptoribus in Serapione*, ſcribit, Serapionem virum doctiſſimum, ob ingenii elegantiam, Scholaſtici cognomen adeptum.

S. Gregor. l. b. 10. epiſt. 2. vocat Matthæum Scholaſticum virum clariſſimum.

Gennad. in Catal. Scriptor. vocat Proſperum ſermone Scholaſticum, id eſt, & eloquentia, & eruditione præſtantem.

Honorius in Catal. Scriptor. vocat Alcuinum officio Scholaſticum. Eodemque ſenſu accipit Scholaſticum *S. Auguſt. tract. 44. ſuper Pſalm.*

Tales erant Presbyteri quidam Doctiſſimi, qui præficiebantur olim ſcholæ Chriſtianæ, ad eos erudiendos, qui ex Judæis, aut Gentibus ad Eccleſiam veniebant: quales fuerunt Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alii. Denique adhuc hodie in quibuſdam Eccleſiis, & nomen & dignitas Scholaſtici perſeverat, licèt ipſa functio penè ceſſaverit.

Id voluit indicare Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. in fine*, cum ita ſcribit: De cætero verò officia, vel dignitates iſtę, quæ Scholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina, aut in jure Canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta proviſio nulla ſit, & invalida, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Qui autem à nobis Scholaſticus dicitur, aut Scholaſter, is à quibuſdam Magiſter ſcholæ, ab aliis caput ſcholæ dicitur.

Gregor. IX. Scholaſticum Eccleſiæ S. Audamori, quæ in Flandria eſt, vocat magiſtrum ſcholarium.

Itaque Scholaſtici munus conſiſtit in duobus. Primum eſt, ut ipſe in ſchola ſuæ Eccleſiæ per ſe, aut ſaltem per idoneos ſubſtitutos, ab eodem eligendos, & ab ordinario approbandos, doceat, & ſuum munus exerceat ſub pœna ſubtractionis fructuum.

Id enim à patribus Tridentinis planè eſt decretum, *ſeſſ. 24.*

Quare vehementer falluntur nonnulli Scholaſtici, qui putant ſui tantùm muneris eſſe ſuperintendere ſcholæ, cùm ipſi ex prima fundatione cæteros præceptores debeant, veluti capita, duces, & primarii magiſtri, anteire. Scholaſtici officium, ſive dignitas, inquit *Rodericus in ſpeculo vitæ humanę, l. 2. c. 17.* non modo honoranda, ſed ſummè neceſſaria in Eccleſia fore dignoſcitur. Ut enim, *Honorius in Canone*, Scholarum magiſtri velut ſtellæ in perpetuas æternitates doctrinæ lumen infundunt. Hoc meritò Eccleſia honorat, & præbendis, atque redditibus non modo præmiat, ſed ditat: ut in unaquaque Cathedrali Eccleſia Clericos, & cæteros ſcholares pauperes gratis inſtituant: Quare illis ea de re tam opulenter providet, ut & docentis relevetur neceſſitas, & via pateat diſcentibus ad doctrinam.

Alterum officium, & munus eſt, ut ſi in ſua ſchola per ſe non doceat, frequenter tamen eam viſitet, & de moribus tam docentis, quàm diſcipulorum, diligentem curam habeat. Ut etiam in Locis ſuæ juriſdictionis, ſubjectis nullum permittat eſſe aut magiſtrum, aut magiſtram, qui privatim pueros doceat, niſi eos probè examinatos, & Catholicam fidem profitentes, juxta formam à Pio IV. præſcriptam, admiſerit, & juxta officii ſui exigentiam aliquoties viſitet.

* SCHOLASTICI, ſive SCHOLARES ſunt, qui Scholas ipſas diſcendi gratia frequentant. Scripſit de iiſdem, eorumque privilegiis, quæ CLXXX. enumerat, tractatum eruditum *Petrus Rebuffus*, quem Joanni Bertrando Præſidi Senatus Pariſienſis inſcripſit, ubi omnia, quæ circa illos neceſſaria, cum ad regiminis, tum ad ſcientiæ, & virtutis perfectionem luculenter pertractat, & videantur ea, quæ præcedenti Loco dicuntur. Etiam anno 1625. prodiit de eorundem privilegiis Tractatus *Horatii Lucii*.

* Scientia

Definitio, et Etymologia.

SCIENTIA, Græcè, ἐπιστήμη, & ἐπιστήμων, ſciens dicitur. Eſt autem ſcientia habitus demonſtrativus *ſecund. Ariſtot. l. 6. Ethicor.*

Scientia eſt determinatio intellectus ad alteram partem cum certitudine.

Scibile dicitur ſecundum potentiam, ſcientia verò ſecundùm actum, vel habitum, ideò non ſunt ſimul natura ex *B. Th. par. q. 13. art. 7.*

Scientia à ſcio dicitur. Scire autem propriè eſt rem ratione, & per cauſam cognoſcere: Quid autem à ſapientia ſcientia differat, vide ſuprà.

Scientia eſt intelligentiæ, ingeniique viribus excitata ex univerſalibus, principalibuſque veris neceſſariis, & primis, ac immediatis.

Scientia Hebræorum *Dahath maddahh*, verbo *iadhahh*, novit, ſcivit, cognovit, agnovit. Hinc ἴδω, εἴδω, ſcio, conſpicio.

Acquisitio.

Quia quæſiviſti à me in Chriſto mihi chariſſimè Joan. qualiter te ſtudere oporteat in theſauro ſcientiæ acquirendæ. Tale à me tibi ſuper hoc traditur conſilium, ut per titulos non ſtatim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc eſt ergo monitio mea, & inſtructio tua. Tardiloquum te eſſe jubeo, & tardè ad locutorium accedentem. Conſcientiæ puritatem amplectere. Orationi vacare non deſinas. Cellam frequenter diligas, ſi vis in cellam vinariam introduci. Omnibuſque te familiarem exhibe. Nihilque te penitùs de factis aliorum intromittas. Nemini te multum familiarem oſtendas: Quia nimia familiaritas parit contemptum, & ſubtractionis ſubitò materiam ſubminiſtrat. De verbis, & factis ſæcularium nullatenus te intromittas. Diſcurſus ſuper omnia fugias. Sanctorum, & bonorum veſtigia imitari non deſinas. Non reſpicias, à quo audias, ſed, quicquid boni dicatur, memoriæ recommenda. Et quæ legis, & audis, fac, ut intelligas: De dubiis te certifices, & quicquid poteris, in armariolo mentis reponere ſatage, ſicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæſieris. Ita ſequens veſtigia, frondes, & fructus in vinea Domini Sabaoth utiles, quamdiu vitam habueris, proferes, ac produces. Hæc ſi ſectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas. *S. Thom. de Aquino, in epiſt. de modo acquirendi ſcientiam.*

Vides, quòd non probat multum ſcientes, ſi modum ſciendi neſcierunt; Vides, quomodo fructum, & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi, niſi ut ſcias; quo ordine, quo ſtudio, quo fine unum quodque ſcire oporteat? Quo ordine? ut illud priùs, quod maturius movet ad ſalutem. Quo ſtudio? ut illud ardentius, quod vehemẽtius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, & oſtentationem, ſed ad tuam, & aliorum ſalutẽ. *Idem ſuper Cant. ſer. 36. exponens illud 1. ad Corin. 8. Si quis exiſtimat ſe ſcire.*

Finis.

Pleriq; accepta ſcientia literarum, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem utuntur, dum de ipſa extolluntur, & ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. *Idem l. 3. de ſummobono.*

Sunt, qui ſcire volunt, eo fine tantùm, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi gratia pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæſtus eſt; Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt. *Bern. ſuper. Cant. ſerm. 6.*

SCIENTIÆ DONUM.

Qui acceperint, & quomodo?

Cùm aliquando mundi ſapientes B. ANTONIUM irriderent, quòd literas ignoraret, tali diſputatione eos confutavit, dicens: Reſponde mihi, quid priùs, ſenſus, an literæ, & quid cujuſvis exordium; ſenſus ne ex literis, an literæ oriuntur ex ſenſu? Illis aſſerentibus, quòd ſenſus eſſet auctor, atque inventor literarum, ait: Igitur cui ſenſus incolumis eſt, hic literas non requirit. Quis præſentium poſt hanc colluctationem non exclamarit, cùm obſtupuerint, & ipſi victi ſint: tantam in imperito ſagacitatem animi admirantes? neque enim ut in ſolitudine, & montibus verſatus, atque omnem ibidem exigens vitam agreſtis, & rudis erat, ſed jucundus, atque affabilis: ſermonem, ſecundùm Apoſtoli præceptum, divino conditum ſale proferebat, ita ut invidia careret, & amore omniũ potiretur: *D. Athan. in vita ejus, apud Bar. tom. 3. an. 328.*

Ante paucos dies, quàm lectulo detineretur ſancto Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, cùm quadrageſimum tertium Pſalmum dictaret, me excipiente (inquit Paulinus) & vidente, ſubitò in modum ſcuti brevis ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ejus, tanquam in domum habitator ingreſſus eſt: poſt quod facta eſt facies ejus ſicut nix: poſteà verò reverſus eſt vultus ejus ad ſpeciem ſuam. Quod cùm fieret, ſtupore percuſſus, obrigui, nec potui ſcribere, quæ ab illo dicebantur, niſi poſtquam viſio ipſa tranſibat. Dicebat enim in eo tempore teſtimonium ſcripturæ divinæ, quod ego optimè retinebam. Nam ſcribendi, vel dictandi ipſo die finem fecit; ſed quidem ipſum Pſalmum explere non potuit. Ego verò id, quod viſum à me fuerat, honorabili viro Caſto diacono, ſub cujus cura degebam, ſtatim retuli. At ille repletus gratia Dei, Spiritus ſancti adventum me in illo vidiſſe docuit lectione Actuum Apoſtolorum. *Paulin. in vita ejus apud Bar. to. 5. Annal. an. Dom. 397. 26.*

RUPERTUS Abbas, contra eos ipſum tanquam minus magiſtris uſum calumniabatur, & illud (*Job.* 15.) ei objectabant: Sapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos. Tui patres ubi ſunt; Qui, vel quales magiſtri te docuerunt; ita reſpondet: Confiteantur ſapientes illi, quantum volunt, nec abſcondunt patres ſuos, quibus ſolis, ut ajunt, data eſt terra, id eſt, ſcripturarum, artiumque liberalium ſcientia. Ego quamvis; & ipſe nonnullos in diſciplinis ſcholaribus patres habuerim, & in libris artium liberalium non ſegniter ſtudioſus extiterim, hoc profiteor, quia viſitatio ab altiſſimo melior mihi eſt, quàm decem patres ejuſmodi, quorum ſub virga ſæpè percuſſus, nonnunquam etiam toto corpore concuſſus, ſicut auribus tuis fidelibus, aliquoties intimavi, loquor ad ſcribendum quidquid ille monitor ſuggerit. Ita Rupertus, indicans ſe plùs à Spiritu ſancto, quàm à magiſtris accepiſſe. *Rupert. Abb. Tuitienſis lib. 12. in Matthæum.*

Occurrit aliquando B. THOMÆ Aquinati locus difficilis in Iſaja Propheta, quem tum interpretabatur, cùmque ad ejus ſenſum, & mentem penetrare non poſſet; multis diebus in jejunia, & orationes incubuit, donec à Domino aperiretur, quod clauſum, & abditum videbatur. Ita nocte quadam, dum precibus vacaret, ſocius ejus Reginaldus, qui in eodem cubabat cubiculo, audivit eum neſcio cum quo colloqui: qua ſermocinatione abſoluta, ad ſe Reginaldum vocat, eumque jubet ſcribere commentaria quædam in Iſajam, perinde illi ea dictans, ac ſi ex libro recitaret; nihil, ut alias ſolebat, demorans, nihil hæſitans, ſed quaſi anteà compoſita, & confecta. Deinde juſſus Reginaldus quieti membra reddere, ad Thomæ pedes corruit, eum obnixè rogans, & per Chriſti nomen obteſtans, ut diceret, cum quibus tam prolixè fuiſſet locutus, & quæſtionis explicationem accepiſſet. Recuſante diù Thoma, & rem ſecretam pandere nolente, Reginaldus rogando urgere cœpit. Tandem igitur, ne Chriſti nomen, per quod adjuratus erat, negligere videretur, cum lachrymis ei dixit: Scis, fili Reginalde, quàm me hiſce diebus afflixerim, ob hujus loci obſcuritatem, cujus jam expoſitionem ex ore meo ſcripſiſti. Miſit autem pius Dominus ad me Apoſtolorum Petrum, & Paulum, quos mihi apud illum interceſſores adhibueram, & cum illis jam dulcia habui colloquia, iique hunc mihi locum valdè luculenter explicarunt. Sed ego omnipotentis Dei verbis tibi præcipio, ne hoc, quod ex me adjurato cognoviſti; donec ero in hac vita, cuiquam omnino reveles. Quam rem Reginaldus ſecretam quidem habuit, quamdiù is vixit: illo autem mortuo, tum in privatis ſermonibus, tum in ſcholis publicis ſæpè commemorare ſolebat. Quin etiam aliàs huic ipſi Reginaldo idem aperuit, ſe quicquid ſcientiæ conſequutus eſſet, potiùs divino lumine, quàm proprio ſtudio conſequutum: quoties enim vel ad diſputationem, ſtudium, ſive lectionem, vel ſcriptionem ſeſe conferre vellet, priùs ad orationem ſe conferebat: idque cum profuſis lachrymis, ſciens ſcriptum, omnem ſapientiam eſſe à Domino Deo. *In vita ejus apud Laurent. Surium.*

Simillimum quidem contigit etiam ALBERTO Magno. Hic enim, ut in Prædicatorum annalibus ſcriptum eſt, ſextodecimo ætatis anno in eum ordinem ingreſſus, cùm in literis pœnè nihil proficeret, eò quod eſſet ingenio, ac memoria tardiore, tanto affici cœpit tædio, ut etiam de religioſa vita deſerenda tentaretur. In qua fluctuatione dum hæreret, viſum eſt ei nocte quadam, cùm ſcalis ad monaſterii muros admotis abitum pararet, apparere matronas quatuor venerabili admodùm vultu, quarum una, deinde altera ſemel jam, atque iterùm ſcandentem manu impulſum deturbaret: cùm autem tertiò idem conaretur, interrogatum eſſe à tertia, quidnam ageret, & qua cauſa: qua expoſita, monuiſſe illam, ut opem potiùs à quarta matrona, quæ Dei Mater, cœlique regina eſſet, expoſceret; ſe verò cum reliquis deprecatione adjuturam. Paruit ille, & benignè acceptus à Virgine, inſuper etiam interrogatus eſt, utra in ſcientia excellere mallet, divina, an naturali. Tum adoleſcens, qui pro ætate nihil adhuc altius guſtaſſet, cùm philoſophiam dixiſſet; Fiat, inquit illa, quod petiiſti. Sed tamen, quia ſcientiam hanc filii mei ſcientiæ prætuliſti, extrema vita omnem perdes doctrinam, & in hanc ipſam, quam nunc exues, hebetudinem recides. Nec mora, viſo dilapſo, ſtatim ſe mutatum ſenſit, quicquid audiret, quicquid legeret, facillimè capiebat, aut ſi quid paulò difficilius incidiſſet, cùm ſe ad Virginem deprecandam, quaſi promiſſum efflagitans, convertiſſet, illicò conſequebatur. Quare cùm talis, tantuſque vir evaſiſſet, & multos annos tum docendo, tum ſcribendo conſumpſiſſet, denique triennio antequam è vita migraret, dum publicè è cathedra neſcio quid interpretaretur, repentè omnem memoriam ſibi rerum omnium, quas tenebat, funditus excidiſſe ſenſit. Tum ille coram omnibus, qui aſtabant, quid ſibi adoleſcenti accidiſſet, enarravit, ac profeſſus, quicquid ſibi poſteà eveniret, ſe fidei articulos ex animo, complectique eorum confeſſione emori velle, deſcendit è ſuggeſtu, proſequentibus eum auditoribus cum fletu,

fletu, cumque amanter amplexantibus. Quin etiam reli- A quam deinceps vitam quaſi repueraſcens in magna ſimplicitate tranſegit; ita tamen, ut nullum religioſi inſtituti officium prætermitteret, nam his tantummodo memoriæ facultas conſtabat. *Hieron.Plat.l.1.de bono ſtat. relig.c.33.*

Quiddam, quod ad beatum Ephrem pertineret, vir quidam pius, ac religioſus ſe conſpexiſſe teſtatus eſt; Angelorum ſcilicet copiam deſcendentem de cœlo volumen intus, ac foris conſcriptum detinere manibus: ſic verò ſanctam illam colloqui viſam eſſe aciem: Quis, putas, volumen iſtud in manus accipiat? Et hos quidem nunc, alios illum, alios verò alium ex præſtantioribus eo tempore hominibus reſpondiſſe: Deinde autem poſt omnium ſubjeciſſe probationem: Iſti quidem ſancti, ac miniſtri Dei ſunt: Sed, hoc volumem in manus accipere nequeunt. Cùmque jam varios ex tunc viventibus nominaſſent, neque quiſquam ex eis placuiſſet, demum communi omnium conſenſu in eam pariter convenerunt ſententiam, ut dicerent à nullo alio iſtud volumen in manus poſſe ſumi, præterquam ab Ephrem Syro, tuncque cœleſtes Angelos idem conſpexiſſe fertur Ephrem volumen tradere, noctuque ſurgens ad eccleſiam, viſum illud con- B ſpiciens, perrexiſſe, auditoque ipſo Ephrem, qui tunc inſignem gratiaque plenam habebat orationem, quid viſum illud deſignaret, cognoviſſe, Deum collaudaſſe, qui tam præclarum dicendi donum viro ſancto tribuiſſet. Tantam enim ſapientiæ abundantiam largitus illi Deus fuerat, ut quantumvis ei perpetui quaſi verborum fontes ſuppeterent, rebus tamen explicandis pares nequaquam eſſent. Illudque non tam linguæ tarditate, quàm cogitationis celeritate accidebat, Lingua enim, cogitandi aliorum vim exæquabat, attamen tardior erat, quàm ut ipſius ſententias aſſequi poſſet. Unde magnus ſenex ſingulare quoddam à Deo eloquendi donum efflagitabat, hiſce verbis: Largire, Domine, flumina gratiæ tuæ. Siquidem doctrinæ profunditas linguam ipſius abſorbebat, ut ſenſa animi efferre nequiret; cum muneri concionandi inſtrumenta ad diſertè dicendum opportuna deficerent. Ita S. Gregorius Nyſſenus, B. Ephrem æqualis. *S.Greg.Niſſ. in orat. de S. Ephrem Simeon Metaphr. in vita S.Ephrem.*10. 1.*Surii.*

Joannes Trithemius, patria Moſellanus, Ordinis S. Bene- C dicti Monachus, cùm puer eſſet unius anni, patre orbatus eſt, matre ob amorem infantis, ne tenellus injuriis vitrici (ut fieri ſolet) exponeretur, vidua per ſeptennium permanente; quo tandem elapſo, ſecundum duxit maritum, cum quo & alios liberos procreavit plures, qui tamen omnes, præter unum filium, in juventute obierunt. Joannes verò, cum eſſet annorum quindecim, invitis parentibus, & cognatis omnibus, amore literarum tactus, & quadam viſione mirabili de futura ſcientia quodammodo certior factus, literas furtivè diſcere cœpit. Quòd ubi vitrico innotuiſſet, duris eum verbis, durioribuſque verberibus aggreditur, & à propoſito literario, quod habebat, trahere totis viribus conatur. Verùm quanto illum plùs prohibendo quotidiè afflixit, tanto ferventiori deſiderio literarum incendit. Noctibus enim (quia diebus, niſi feſtivis, & id furtivè, non licebat) dormientibus cunctis domum exiens, ad vicinum quendam amicum, qui literis olim dederat operam, pergere conſuevit, à quo puerilium inſtitutionum rudimenta tempore breviſſimo percepit, ita ut etiam præceptor ipſe vehementer miratus diceret, ſe nunquam tam docile ingenium, D & memoriam vivaciorem in aliquo homine conſpexiſſe. Alphabetum enim, & orationem Dominicam, cum ſalutione Angelica, Symbolum quoque Apoſtolorum, Confeſſionem altaris, benedictionem cibi, & potus in ſeptem diebus perfectè didicit, ac memoriæ tenaciſſimè commendavit. Sed & libros linguæ Teutonicæ poſt hæc à ſemetipſo legere perfectiſſimè in uno menſe aſſuevit. Videntes autem amici, & maximè ſacerdotes, tantùm ingenium juvenis, & amorem ad literas, patruo ejus Petro de Monte gentili, viro maturo, atque ſevero perſuaſerunt, quatenus quid ſibi tam vehemens literarum cupiditas in eo prætenderet, experiretur. Conſenſit ille, & ſe tutorem juvenis (quia patruus) reclamante vitrico, in medium exhibuit, & jam deinceps patrimonii ejus rationem habere cœpit. Sed quot verbera, quot injurias, quot contumelias juvenis innocuus à vitrico ſuſtinuit, quot imbres lachrymarum effudit, priuſquam jugum ejus omni ſervitute crudelius ſubterfugere potuerit? Evaſit tandem domum novercam, ſicut Iſraelitica turba Ægyptum, & iter trium dierum amore literarum in deſerto peregit; primùm apud Treviros, deinde in partibus inferioribus, ac poſtremò in oppido Heydelbergenſi, & ſic via trium dierum in terra aliena (ſicut di- E ximus) peracta, tandem ſe in præſenti cœnobio Domino Deo in holocauſtum perpetuum immolavit: Factus autem Monachus, inter fratres ſine querela converſatus eſt, ſtudiumque literarum, & ſolitudinem cellæ omnibus deliciis hujus mundi prætulit, nihilque in hoc mundo ampliùs, quàm ſcientiam ſcripturarum ſitire videbatur. Viſionem autem, quam habuit, talem (eo revelante) fuiſſe cognovimus. Ad unius anni ſpatium jejuniis, & orationibus continuis duo quædam maxima à Domino Deo cum maxima intentione poſtulavit, quorum alterum fuit ſcientia ſcripturarum, alterum nulli unquam ſe manifeſtaſſe dixit. Ecce quadam nocte juvenis claro habitu ſibi dormienti aſtare viſus eſt, qui habebat duas tabulas in manibus, quarum altera ſcripta literis, altera depicta quibuſdam imaginibus fuit, qui dixit ad eum: Elige ex his duabus tabulis unam, quam volueris. Qui mox amore literarum, quas adhuc penitus illo tempore ignorabat, etiam dormiendo flagrans, eam tabulam, quæ ſcripta videbatur, elegit. Cui juvenis, qui apparuerat, dixit: Ecce Deus orationes tuas exaudit, dabitque tibi utrumque, quod poſtulaſti, & quidem plùs, quàm F petere potuiſti. Altera mox die, nihilo eo de viſione cogitante mirabili occaſione data fuerunt principia literarum cupienti. *Ex Sponheimenſi Chron. ad an. Dom.* 1483. *per Jo. Trith.*

Quidam verò Felix nomine, Nirſiæ Provinciæ nobilis, pater hujus Caſtorii, qui nunc nobiſcum in Romana urbe demoratur, cum eundem venerabilem virum Equitium ſacrum ordinem non habere conſpiceret, & per ſingula loca diſcurrere, atque ſtudioſè prædicare, eum quadam die familiaritatis auſu adiit dicens: Qui ſacrum ordinem non habes, atque à Romano Pontifice, ſub quo degis, prædicationis licentiam non accepiſti, prædicare quomodo præſumis? qua ejus inquiſitione compulſus vir ſanctus indicavit, prædicationis licentiam qualiter accepit, dicens: Ea, quæ mihi loqueris, ego quoque mecum ipſe pertracto. Sed quadam nocte ſpecioſus mihi per viſionem juvenis aſtitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id eſt, flebotomum poſuit, dicens: Ecce poſui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atque ex illo die etiam cùm voluero, de eo G tacere non poſſum. *Petrus.* Vellem etiam patris hujus opus agnoſcere, qui fertur talia dona à Deo percepiſſe, *Gregor.* Opus, Petre, ex dono eſt, non donum ex opere, alioquin gratia jam non eſt gratia. Omne quippe opus dona præveniunt, quamvis ex ſubſequenti opere ipſa etiam dona ſuccreſcant. *B. Greg.lib.*1. *Dial.c.*4.

Anno Domini cxxv. Caliphus Rex Tartarorum conatus eſt extirpare Chriſtianos de regno ſuo, quia Chriſtiani mixti habitabant inter Paganos. Unus autem de conſiliariis ſuis conſuluit Regi, ut omnes vinceret ex Evangelio. Nam Chriſtus Deus Chriſtianorum locutus eſt: Si quis Chriſtianus non hæſitaverit, & dixerit monti huic; Tollere, & mittere in mare, fiet ei. Qui convocavit omnes Chriſtianos, quæſivit ſi verbum Chriſti, & Evangelium verum ſit; Reſpondentibus omnibus, quod ſic, ſtatim comminatus eſt eis, quod niſi infra decem dies hoc facto oſtenderent, omnes perirent. Tunc Epiſcopus, & ſacerdotes convocaverunt Chriſtianos, & indicto jejunio per triduum, & orationibus intendentes, rogaverunt Dominum Jeſum Chriſtnm, ut ſuis fidelibus ſuccurreret. Et revelatum eſt cuidam Epiſ- H copo devoto, quod Sutor monoculus dignus eſſet proferre illa verba, & populum Chriſti de periculo eruere. Qui ex humilitate renuit, & ſe peccatorem eſſe aſſeruit, tamen ex obedientia, præcepto ſe ſubmiſit. Et Chriſtiani ex una parte ſteterunt, & Crucem Chriſti ſecum habuerunt, & Caliphus ex alia parte cum ſuo populo, qui fuerunt parati ad occidendum Chriſtianos. Oravit autem ſutor flexis genibus, ne Chriſtus tot Chriſtianos necari permitteret, & præcepit monti, ut ſe tolleret; quod & ſtatim factum eſt. Quo viſo Rex baptizatus eſt, & plures cum eo, & ſic fides roborata eſt, & augmentata. *Ex lib. exempl. diſtinct. exemplo* cxlv.

Quodam die dum indicta publica ſupplicatione Minoreſſæ religioſum agmen inſtruitur, & Ignatius interim beatiſſimæ Virgini pſallit, inſiſtens gradibus templi Dominicani; ſubitò in Deum ita rapta mens ejus eſt, quaſi per appoſita quædam, & maximè illuſtria ſymbola Trinitatis ipſius numen auguſtiſſimum cerneret diſtinctum perſonis, unum eſſentia. Qua viſione tanto gaudio eſt delibutus: ut neque in ipſo mox agmine lachrymis, & ſingultui crebro temperare valuerit, ne- A que verò totum eum diem alia ulla de re, niſi de ſanctiſſimo illi fidei Chriſtianę myſterio diſputare, idque tanta ſimilium, & exemplorum varietate, & copia, ùt cuncti obſtupeſcerent. Quin etiam per eos ipſos dies non dubitavit homo literarum propèmodum ignarus librum de Trinitate conſcribere quoquo potuit ſtylo. Uſque adeò cœleſtes typi, quos diximus, in ejus memoria, atque intelligentia divinas illas rerum altiſſimarum notiones impreſſerant. At licèt anteà quoque, & monadem in triade, & in monade triadem ſanctiſſimè coleret, ſuaſque, & naturæ divinæ communiter, & ſeparatim ſingulis perſonis preces, hymnoſque perſolveret: ab hoc tamen raptu longè ſtudioſior, & ardentior evaſit in eodem officio pietatis: eamque laudabilem conſuetudinem ad extremum uſque vitæ retinuit, ſic ut præcipuam caperet voluptatem, & proprio quodam ſenſu rerum cœleſtium afficeretur, quotieſcunque ſanctiſſimæ Trinitati ſacra perageret. Neque verò fuit hic finis mirabilium viſionum: ſiquidem rursùs per ſignificationes arcanas, & myſtica quædam exempla oblatus eſt ejus menti modus ipſe, quem in hujus univerſitatis molitione ſummus ille rerum opifex tenuit. Quas illuſtrationes, atque doctrinas, ut omnino vires naturales excedunt, ſic poſteà negabat Ignatius B poſſe verbis adumbrari, nedum exprimi. Præterea cùm ſacrificio miſſæ in eodem templo Dominicano intereſſet, dum à ſacerdote de more hoſtia ſalutaris attollitur, apertiſſimè vidit Ignatius illa ſpecie Chriſtum Deum eundem, & hominem veriſſimè contineri. *Ita Petr. Maff.lib.*1.*vitæ B.Ignatii c.*7.

* Scortum. Scortatio.

Definitio, et Etymologia.

Scortum, Græcè πόρνη, & πορνεύω, ſcortor dicitur. Eſt autem ſcortum meretrix, vel quod ſicut pelliculæ ſubigatur, cùm ſolùm calceamentorum omnibus ſubjectum ſit, vel quod in grabatulis pelles ſtratas tenere conſueviſſent. Hinc ſcortor, & ſcorteum, quicquid ex pelle eſt, Hebr. *Zonac.* ☞ *Vide Meretrix.*

Fauſtus ita deſcribit:

Non ſcortum eſt aliud niſi blanda, & ſubdola Siren,
Quæ trahit humanum ſub vada cæca genus.

Apophthegmata.

C Antitshenes Athenienſis cum his mulieribus conſuetudinem habendam dixit, quæ beneficium beneficio penſent, & quæ gratiam habituræ ſint. Sentiens, abſtinendum à meretricibus, quæ pretio, & pecunia vendunt inhoneſtam voluptatem, nec pariunt, nec amant mutuum: aut à valetudinariis, deformibus, & malè moratis, quæ gignunt fœtus pœnitendo. *Ejus dicterium extat apud Laert.lib.6.c.*1.

Diogenes ſcorta dicebat eſſe regum reginas, quod ab his quicquid collibuiſſet peterent, & impetrarent. Nam ideò regum reginas appellabat, non quod eſſent pares uxoribus: ſed quod in ipſos reges regnum exercerent. Reges à populo non ſemper obtinent, quod exigunt, à ſcorto nihil negatur. *Laertius lib.6.*

Idem formoſa ſcorta ſimilia dicebat mulſo lethalibus venenis temperato, quod adferrent quidem initio voluptatem, ſed quam perpetuus dolor conſequeretur. *Ibid.*

Idem, coſpiciens quendam meretrici ſupplicem, ut impetraret, quod petebat: Quid, inquit, tibi vis miſer præſtat non impetrare, quod rogas. A ſcorto reiici præſtat, quàm admitti. D Et tamen plerique animi, & corporis jacturam ambiunt inſtanter, & magnò emunt. *Ibid.*

Idem, irridebat eos, qui cellas promptuarias obſerant vectibus, ſeris, & ſignaculis: corpus autem ſuum multis feneſtris, & januis aperiunt, per os, pudenda, aures, & oculos. *Stob.ſer.de intemperantia.*

Socrates, nec ignem veſtimento occulere poſſibile eſſe dicebat, nec ſcortationem fœdum peccatum tempore. *Eod. ſerm.*

Musonius, extremæ dicebat eſſe impudentiæ in ſubeundis, vel inſtituendis laboribus meminiſſe imbecillitatis corporum, erga voluptates autem (id eſt, crapulam & ſcortationem) oblivisci. *ibid.*

Crates viſa aurea imagine Phrynes ſcorti Delphis erecta exclamavit: Ex Græcorum incontinentia trophæum. *Plutarchus.*

Plutarchus ſcortationem deteſtatus, appoſitè dicebat, ſcortationem veluti alloquens: An coram omnibus ſcortatis! E Immò tu teipſum etiam reveritus fugis, nocti ſolum, & tenebris ſine teſtibus contumeliam, & libidinem committens, nemo quippè honeſtis actionibus caliginem obtendit, lucem earum teſtem reformidans. Immò totum mundum ſolem eſſe optaret, erga ea, quæ præclarè agit. Unum quodvis autem crimen nudum conſpici cavet: prætexens affectus: Iis ergo amputatis, nudas intueamur voluptates. Sunt ebriæ ad ſtuporem, ſcortantur perpetuò, dormiunt ad negotia, civitates negligunt, non curam gerunt parentum, non verentur leges. *Ex lib. contra voluptatem, apud Stob. ſerm. 6.*

Fertur, aliquando Corinthum navigaſſe Demoſthenes, illectùs fama nobiliſſimi ſcorti Laidis, ut & ipſe famoſo amore potiretur. At cùm illa pro nocte ſtipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretii mutavit ſententiam, dicens: οὐκ ἀγοράζω τοσούτου τὸ μετανοῆσαι. Non emo tanti pœnitere: ſignificans; inhoneſtæ voluptati paratam eſſe comitem pœnitentiam. *Eraſm.l.4. Apopht.*

Cùm Legatis à Demetrio ad Lyſimachum miſſis Lyſimachus per otium narraret aliquando, quomodo coactus ab Alexandro cum ferociſſimo leone colluctatus fuiſſet, & cicatrices oſtenderet in cruribus, ac brachiis è feræ ungulis relictas, F legati dixerunt: Et noſter rex graves feras, Lamiæ morſùs in collo geſtat. Notantes ſuaviorum amatoriorum veſtigia, ſimul alludentes ad Lamiam belluam. *Plut.*

Scortatio Punita. ☞ *Vide Adulterium. Fornicatio. Stuprum. Sodomia. Libido. Luxuria.*

Scotorum Reges.

☞ *Vide Magiſtratus Chronologicè conſideratus. In Loco de Magiſtratu.*

* Scribæ.

☞ *Vide* RABBINI.

Quinam Fuerint? et Quod Eorum Munus.

Scribæ erant Doctores Judæorum, quos hoc nomine vocabant, ſicut Græci ſuos Sapientes vocabant Philoſophos, Chaldæi Magos, ſic & Judæi appellabant ſuos Do- G ctores Sopharim, quod Septuaginta vertunt γραμματεῖς, noſter Scribas vertit à ספר, Sepher, id eſt, litera, vel ſcriptura: quaſi dicas literati, & ſcribæ, eò quod circa ſacras literas verſarentur. Illorum enim officium erat S. Scripturam incorruptam ſervare, correctæ ejus deſcriptioni vigilare, illam interpretari, tum ſcripto, tum voce, & inde reſponſa conſcribere, vel enarrare. *Ita. Epiphan. hæreſi* 16. unde Sopher poteſt etiam deduci à ספר, Saphar, id eſt enarrare, recenſere, ut Sopher idem ſit, quòd enarrator, & explicator legis, ſed noſter, & lxx. ad Sepher reſpiciunt. Sic Grammatici olim dicti ſunt, qui circa grammata, & literas verſabant, & dubias poetarum ſententias explicabant. Judæorum enim ſtudium omne erat in ſacris literis, nec alias ferè norant. *Ita Ianſen. Tolet. Maldonat. in Evangel.* ubi crebra Scribarum eſt mentio. Cæterùm varia Scribarum Hebr. nomina recenſet *Lazius de Republ.lib.* 11. *cap.*4.

H

* Scriba. Scriptor.

Definitio, Et Etymologia.

Scriba ſive Scriptor, qui Græcis, & γραμματεὺς συγγραφεὺς; eſt is, ad quem pertinet, literas, acta, aliave Principum, aut magiſtratus, vel alicujus privati nomine ſcribere. Unde & Scribæ vocantur, quos Amanuenſes appellamus, quod ad manum ſint illis, qui conceptus ſuos dictare ſolent, ut ab iis calamo excipiantur, quomodo *Cicero ad Ruffinum* hanc vocem uſurpat.

Ad ea, quæ ſcripſiſti, inquiens, commodiùs poſſem de ſingulis ad te rebus ſcribere, ſi Marcus Tullius Scriba meus adeſſet.

Nomen tamen Scriptoris pro Auctore alicujus operis accipi-

A cipitur. Ita Horatius: *Scriptor honoratum ſi fortè reponis Achillem. in Arte Poetica*. *Donatus* tamen. *Prologo in Terentium*: Indifferenter, ait, omnis, qui aliquid ſcripſiſſet, ſcriptor à veteribus dicebatur.

SCRIBARUM ORDO. USUS. MUNERA.

Cic. de Scribarum ordine, 3. *accuſat.* Ordo ait, eſt honeſtus, quis negat? eſt vero honeſtus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committantur. Honeſtas tamen, & honor ex eorum nationum moribus diſtinguuntur: ut liquet ex his, quæ tradit *Æmilius Probus in Eumenis vita*, dum ait, Eumenem Cardianum fuiſſe Philippi Macedonum Regis ſcribam, & familiariſſimum, quod munus ſcribæ multò apud Græcos eſſet honeſtius, quàm apud Romanos: Nam apud Romanos, inquit, Rè vera ſicuti ſunt, mercenarii exiſtimantur ſcribæ, at apud Græcos contra. Nam nemo ad officium id admittitur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quod neceſse ſit omnium conſiliorum eum eſſe participem. Attamen apud Græcos, & Romanos, prius Ordo hic vilis habebatur, ut habet *Toloſ. in Syntagmat.*

B Quamdiù ars Typograhica latebat, fides maximè Scriptorum, & tranſcribentium libros, leges, documenta publica requirebantur: tum ut nihil detraheretur, vel adderetur, tum etiam ut vetita non communicarentur. Tantaque vel in ſcribis librorum, vel deſcriptoribus legum, & conſtitutionum, fides, & ars cum diligentia deſiderabatur, ut non immeritò Juſtinianus dignum exiſtimaverit ſanctione, cavere de Scripturis eorum in legibus, ut ex integro, & ſine ſigillis, & notis fierent. *in leg.1.§. Noſtram autem conſummationem, & veteri jur. enuclean.*

Curabant antiqui Reges, populi, magiſtratus, ut Annales rerum geſtarum & veraciter, & fideliter conſcriberentur, vel à Pontificibus ipſis, vel aliis, ad quos, cùm opus eſſet, recurreretur. Sicut quo tempore Aſſuerus Rex inſomnem noctem tranſigens, juſſit ſibi adferri, & legi hiſtorias, & Annales priorum temporum, *Eſther.cap.5.*

Eadem ratione, qui impedire volebant Judæos, ne ædificarent Hieruſalem, Annales regum objecerunt, & ſcripſerunt ad Regem Artaxerxem. Idcircò miſimus, & nunciavimus regi, ut recenſeas in libris hiſtoriarum patrum tuorum, & invenies ſcriptum in commentariis, & ſcies, quoniam urbs illa rebellis eſt, &c *Eſdræ cap.4.*

C Ex privilegio poteſtas facta eſt Romæ Pontificibus Maximis, memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos annales appellabant equidem maximos, quaſi à Pontificibus maximis factos. *Macrob.l.3. Saturn.c.2.*

Atque olim, ait *P.Gregor. Toloſ.lib.15.de Republ.c.9.* non paſſim hiſtoriæ, & Annalium deſcribendorum facultas omnibus dabatur, ſed gravioribus, & fide dignis hominibus: ne falſa ſub hiſtoriæ ſpecie poſteris perſuaderentur, ut hodie à viris perturbati animi ſcribitur, qui ſuis mendaciis, & adulationibus, & maledictis turbant, & lacerant omnes Reſpublicas. Ita apud Chaldæos penes Sacerdotes ſolos erat publica fides, annalium, temporum, geſtorum, & regum, ut auctor eſt *Metaſthenes lib. de judicio temporum.*

Diligentiæ, & fidei ſcribarum librorum antiquorum teſtimonium eſt locuples, quod ad evitandam additionem, vel minutionem, ſolerent per numeros, verſus, vel ſententias notare, & quot verſus unumquodque volumen haberet, vel quot ſingula capita in ſummam poſteà coniicere.

Exempla habemus in ſacris bibliis. Nam ut ait *Rabbin Kimbi in directorio viarum linguæ ſanctæ*, connumerati apud Hebræos libris legis verſus 5845. in prophetis 9294. in apographis, 8064.

D Idipſum & in legibus, & in interpretum libris aliquando obſervatum. Nam refert *Iuſtinian. in l.2. de veteri jure enuclea. C.antiquæ juriſpr.* fuiſſe penè duo millia librorum conſcripta, & plus quàm tricies centena millia verſuum à veteribus effuſa. *Idem in Proœm. P. in §. & anteà.*

Uno volumine hoc, vitas excellentium Scriptorum, quàm plurium concludere conſtituimus, quorum ſeparatim multis millibus verſuum complures ſcriptores antè nos explicarunt, ait *Æmil. Probus in Epaminonda.*

Diogen. Laert. in Ariſtot. poſtquam libros ab Ariſtotele ſcriptos connumeravit, ſubiicit: Efficiuntur omnino verſuum myriades quatuor, & quadraginta cum quinque millibus, & ducentis, & ſeptuaginta.

Idem in Theophraſto. In ſumma, inquit, fiunt verſuum myriades centum octoginta octo. E

Hermippus, qui de tota ea arte diligentiſſimè ſcripſit, vicies centum millium verſuum à Zoroaſtre condita, indicibus quoque voluminum ejus poſitis, explanavit. *Plinius lib.30.cap.1.*

VARIA EORUM GENERA, ET NOMINA. UBI ET DE NOTARIIS.

Scribarum Ordo, qui olim vilior, mox honeſtior habitus, ut ex ſuperioribus conſtat, tandem eo excrevit, adeòque dilatatus erat, ut fuerit decurias deſcriptus, teſte *Sigonio lib.2. de Iure Rom. cap.9.*

A variis autem Magiſtratibus variè vocati. Nunc Quæſtorii, Prætorii, Ædilitii: & à rationibus ſuis Ærarii, Portorii Navales, ajunt *Fran. Polletus L.6. de foro Rom.c.12. & Turnebus lib.30.c.34.*

De Scribis apud Hebræos uſitatis diximus loco proximè antecedente, & probavimus fuiſſe illos Lectores, & Doctores legis.

Erant autem præter iſtos, varia Scribarum genera, & differentiæ, *v.g.*

Epiſtolares, hodie Copiſtæ. De quibus *Iuſtinian. Leg.final. §. In his aut. Cod. de Temp. appell.* F Iidem, Scripturarii, & Groſſiſtæ Cancellorum. Græcis γραμματεῖς. Iidem etiam Librarii, *Plin. lib.7. de Cæſare*, Epiſtolas quaternas, aut ſeptenas pariter dictabat librariis. Librarioli *Cic. l.4. ad Attic. epiſt.4. & Vegetius lib.2.c.7.* inter caſtrenſia officia ponit Librarios, qui militum rationes ſcribebant.

Libellorum magiſtri. Libellenſes, qui requeſtas, hoc eſt, libellos ſcribunt. *Briſſon.* Sunt autem longè alii libellatici, de quibus *Baron. Tom.11. annal.* erant enim hi, qui vel per ſe, vel per nuntium indicabant Magiſtratui, ſe abnegare Chriſtum, in cujus rei teſtimonium à Magiſtratu libellum impetrabant: quo muniti, perſecutionum pœnas evadebant; ut colligitur *ex epiſt. 59. D. Cypr. ad Antonian.*

Actuarii, qui acta ſcribebant. Abbreviatores majoris, & minoris Parci; quorum primi diplomata ſignant, alii pecuniam pro ſignandis accipiunt, *Octavianus Veſtrius Introductione in Aulam Roman.*

Reſcribendarii, qui taxant Scribarum mercedem. *Ibid.* Sicut Summiſtæ Apoſtolici, qui decernunt, quid à Secretariis oporteat regiſtrari. *Toloſan. lib.15. Syntag. cap.42.*

Notarii, à notis, quia verba dictantis per notas, & compendia ſcribebant, inquit *Ammon. & Paul. De milit. teſtam.* G Modeſtinus Briſſonius, Spiegelius, Antiquarios eos appellat *Auſon. ep.17. ad Probum*; Græci καλλίγραφοι, σημειογράφοι καὶ ταχυγράφοι: *Sueton. in Iul. Cæſ. cap.55.* Actuarios: ſicut, & *Trebellius Pollio*, & *Seneca* Singularios, à ſingulis vocari inquiunt *Scalig. lib.2. cap.13. in Notis Auſonii, & Rader. in Martial. lib.14. Epigram.202.* Horum natales feliciſſimi ſub Aſtro Virginis, ſi Dis placet, Auctore *Manilio libro 4. Aſtronom.*

At quibus Erigone duxit naſcentibus ævum, &c.
Hic & ſcriptor erit, velox cui litera verbum,

Ordo Primùm utilis, teſte *Potro Toloſano lib.48. Syntagmat, cap.42.* utpotè omnium ſervitio expoſitus. *Gloſſ. in Leg. Univerſos. De Decurion. lib.10. Cod.* adeò ut etiam Notarii munus ſuſcipiens, perderet privilegium officii. *Leg.2. de tabul. lib.10. Cod.* neque liceret Eccleſiaſtico exercere munus Tabellionatus laici. *C. Sicut ne Clerici, cap. Offic. de hæred. in 6.* Alioqui Notarii Eccleſiaſtici, & Apoſtolici, ſemper fuere in honore; ſicut etiam poſt ipſi Notarii laici. Sunt enim in Romana Curia *Protonotarii* ſeptem, ita dicti, ut à laicis Notarii diſtinguantur, qui originem habent à Notariis illis primis, qui Acta Martyrum excipiebant. Civilium verò Notariorum hæc ſunt genera à *Lazio* numerata *lib.2. Reip.* H *Rom.c.4.*

Princeps Notariorum apud *Ammian. l.25. & Lampridium in Alexandro*: Primicerius Notariorum apud *Marian. in Cod. Præfecturæ*: is erat, qui nunc vocatur Cancellarius, & olim Princeps laterculi, *Leg. in agr. §. de acquir. Iur. do.*

Tribuni Notariorum, qui nunc Secretarii, de illis mentio apud *Symmachum epiſt. ad Arcadium Imperatorem, Marcellin. lib.17. & Caſſiodor. lib.7.* qui appellat Tribunum chartariorum.

Notarii militantes, qui nunc Secretarii, Caſtrenſes nominantur apud *Ammian. lib.29. & 30.* à Vegetio dicti Librarii militarium rationum, *lib.2. cap.7.*

Nota-

Notarii decurionum, apud *Sueton. in Claud.* qui Cenſuales A apud *Capitol. in Gordiano.*

Notarii Secretorum, apud *Vopiſc. in Aureliano.*

Notarii Principum, *Leg. unica, Cod. De mand. Princip.* & ſoli dicuntur habere dignitatem: nam cæteri nuncupantur Servi publici. *Leg.2. de pupil. ſal. form.* ita Spiegelius.

Hoc verò Lazium fugit, quòd Notarii frumenti conſtituebantur in frumenti diſtributionibus. *Pollux. li.8. c.9.*

Logographi hodie Taxatores, qui ſcribebant in libro rationum.

Mediogrammatei, quos Scribæ conſulebant, hodie Correctores, Græcis Diaſtolæ, quaſi Interpunctores.

Symbolographi, nunc Regiſtratores; qui ordinem Cancellorum tenent.

Subadjuvæ, Græci, ἀντίγραφοι nunc Contrarotularii, qui ex oppoſito ad majorem fidem acta tranſcribunt.

Boethi, qui aliis in ſcribendo aſſiſtunt, unde fortè Severino Boethio nomen: quæ quinque poſtrema nomina ſunt in *Leg. final. Tit. De Tabel. ſcrin. & logogr. lib.10. Cod. Tit.69.*

Formularii, qui formam ſcripti concipiebant; iidem.

Pararii, apud *Senecam 2. & 3. de Benef.* ut interpretatur Guter. quamvis *Ravard. li.3. Var.c.1.* Pararios vocat Obſignatores; ne quibus *Cic. pro Cluentio.*

Chartulani, in Codice Præfecturarum, Chartularii, apud B *Juſtin. & Paul. li.18.*

Exceptores. Scribæ privilegiorum.

Prochiri, & Meſoprochiri. Amanuenſes ita vocantur à *Suet.* Prius nomen habetur *lib.12. Cod. Leg. Jubem.*

Hypomnematograhi, Inſtituti primùm ab Auguſto, poſt Ægyptum redactam in provinciam. *Strabo.* Iidem ſunt, qui Commentarienſes. Hypomnema enim eſt Commentarius. *Cic.15. ep. 265.* Multùm mihi eripitur operæ in ſcribendis hypomnematis.

Regerendarios Marianus nominat pro Notariis, ſeu Singulariis.

Scripturarii, inquit *Nonius c.1.* quos nunc Tabularios dicimus, qui nomina omnia urbium, & provinciarum complectebantur.

Scriptores, qui dictaturam minutam in forma literarum conſcribunt. Notarii enim numquam, niſi minuto charactere, ſcribebant, ut obſervat *Janus Mellorus Palmer. in Spicilegiis.* Veteres omnes, inquit, majuſculis literis totos perſcribebant libros; minuſculas Notariis relinquebant, quarum uſum C Papyrianus non niſi occupatis, & negotioſis indulgebat: Majuſculæ autem erant, quas cum Petronio vocamus quadratas, vel unciales, ut *D. Hieronymus in Præfat. ad Job*, vel Apices, ut *Sidon.* notante I. Baptiſta Pio.

Videat etiam Levinum Torrentium de ordine ſcribendi, comm. in Sat.5. Horat. verſu 66.

Scriptio. Scriptura.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

SCRIPTIO, & SCRIPURA, quam, γραφὴ ſive συγγραφὴ apellant Græci; eſt vel ipſe actus ſcribendi, vel opus, quod ſcribitur, juxta poſteriorem namque uſurpationem, Scripturæ nomine per antonomaſiam vocantur Biblia Sacra, tamquam quæ excellentiſſimam contineant ſcripturam, ſintque præſtantiſſima ſcriptio. Harum vocum primitivum eſt Scribo. Eſt autem ſcribere, vocem, aut vocis partem per literas enuntiare, & ob oculos ponere, unde verò Etymologia vocis hujus defluxerit primùm, incertum. *Ioan. Goropius l.11. Hieroglyb.* ſub D finem ait: γράφω Græcorum, Scribo Latinorum, & כתב *Chataf.* Hebræorum natales ſuos Cymbrico noſtro ſermoni acceptos ferre debent. *Grab.* enim Cymbris omnem foſſam ſignificat, Voci *Grab.* ordine literarum, & ſignificatione contrarium eſt *Barg.* quod montem notat. Nos jam *Grab.* pro *Graf.* dicimus, mutato B. in F. Ab hoc poſteriore *Graf.* quod ſignificat fodio, Græci retinuerunt γράφω, mutato F. in φ, ut vis literæ poſtulabat, unde grammata pro literis, &c. Jam Latinorum Scribo manavit à Germanorum *Scrib.* quod Belgæ dicunt *Scrif.* cujus verbi ratio petenda eſt à *Scrab.* & hujus rurſùs à *Grab.* quod idem eſt, ac frico, &c. Qui verò tanta vi fricat, ut ductus ſui ſignum impreſſum relinquat, is *Scrabben.* dicitur, ſibilo vehementiam addente. Hinc denique venit *Scrib.* Germanicum, & *Scrif.* Belgicum vocali longa, quod lineam deſignat. Hebræorum autem כתב *chataf.* quo ſcribere deſignant, longiùs ab origine receſſit, &c. כתב enim à *Boccteken* (quod eſt librum ſignare, ſeu ſcribere derivari non dubito, ſolo N rejecto, & verbo præpoſterè pronuntiato. E

Ingenioſa quidem iſthæc Goropii conjectura. Quamvis alii melius exiſtiment, vocem hanc eſſe de genere Aboriginum, ut cujus initium, & contextus non ſatis ſciatur: niſi velimus Latinos eam à γράφω Græcorum, & hos à, כתב *Chataf.* Hebræorum ſumpſiſſe, nonnullis literis ejuſdem poteſtatis traductis ad ſuum uſum, quod videtur indicare *Hermanus Hugo* è Societ. Jeſu, qui pridem hoc argumentum pertractavit.

* VARIÆ SIGNIFICATIONES.

Vocem Scribo variis rebus ſignificandis impoſitam, ac varia eſſe Scriptionis miſteria conſtat, perſequitur ea præfatus Hugo, cujus lucubrationes hìc adhibemus.

Igitur, fata ſcribere, & fata ſcribenda advocare, eſt de recens nati infantis felicitate benè ominari; id quod fiebat die Luſtrico, ſeu Nominalium, ut *Tertull.* loquitur. vide *Scalig.* ad illa Auſonii verba; *li: 2. Obſerv.c.22.*

Dictaſti fatis verba notanda meis.

Dicam ſcribere, eſt nomen alicujus pro inſtituenda accuſatione ad Judicem deferre. *Cic. Verr.4.*

Servo libertatem ſcribere, eſt dare, *Quintil. declamat.380.* & alibi *Vlpianus.* F

Tutorem ſcribere, eſt conſtituere. *Cic. pro Cluent.*

Scribere pro pingere apud *Plin. lib.35. cap.10.* Scripſit, Apollinem, &c.

Scribere digitis eſt, nutibus loqui, *Ovid.*

—— *in digitis litera nulla fuit.*

Ennius de quadam impudica: Aliis dat digito literas, quod Salomon dixit *Prov.6.* Annuit oculo, terit pede, digito loquitur.

Scribere pro arare apud *Ennod. in Paneg.*

Cùm bene molitos incurvi dente ligonis
Scribit agros. ——

Alibi: Niſi edomitam terram ter quaterque agricolæ ligonibus ſcripſerint. Item *Sidon Apollin. carm.11. ver.412.*

—— *in deſcriptoſque per agros*
Fragrat odor. ——

Scripturarius ager, pro quo depaſcendo, Scriptura, hoc eſt, certum vectigal ſolvitur publicano.

Conſcribere eſt colligere, ſeu adlegere; hinc Patres conſcripti, eſt & vibicibus verborum notare. Plautus Pſeudo- G lo: Stylis me totum uſque ulmeis conſcribito.

Subſcribere, eſt, poſt accuſatorem ſecundo, aut tertio loco dicere contra reum: unde ſubſcriptores, *Vide Budæum Annot. poſter. in Pandectas, & Sigon. de Iudic. li.2. cap.10.*

Præſcribere, longa annorum conſuetudine jus acquirere, apud Jureconſultos.

Hæc pauca, ſed ferè præcipua ſcribendi vocabula ſuffecerit explicaſſe, quæ alienæ ſignificationis quadam veluti præſcriptione irrepſerant in jus aliorum verborum: ſed & aliis vocabulis verbum ipſū Scribo veluti talionis lege invicem fundo ſuo ſubinde depulſum eſt non inſcita Metaphoræ translatione. Ita Pingere pro Scribere poſuit *Martial. l.9. Epigr.14.*

Nomen Acidalia meruit quod arundine pingi.

Arare, & exarare. *Iſid. ex Satyr.*

Mucroneque aremus oſſeo.

in cerea nempe tabella. *Ovid. 3. de Ponto:*

Ad fratrem ſcriptas exarat illa notas.

Effodere. *Petron. Satyr.* Verba atroci ſtylo effodere:

Sulcare: *Ennod.*

Otio Niliacis non paſſus carmina biblis, H
Sulcavi.

Illudere. *Horat. lib.1. Sat.4.*

—— *Si quid datur otii.*
Illudo chartis.

Illinere. *Idem ibidem:*

Eo quodcumque ſemel chartis illi verit. ——

Ducere. *Ovid.1. Triſt. Eleg.10.*

—— *tamen ipſe trementi.*
Carmina ducebam qualiacunque manu.

Lineare. *Marcian. Capella lib.3.* Literarum formas lineare.

Jam contrarium, quæ voces ſignificaverint, videndum eſt: nam & eæ ad ſcribendi argumentum pertinent.

Liturare apud Sidonium eſt, *epiſt.9. lib.8.*

Litura coercere apud Flaccum *epiſt. ad Piſones:*

—— *Carmen reprehendite, quod non*
Multa dies, & multa litura coercuit.

Unde

Unde urbaniſſimus ille jocus de litura *in Verrem Act.* II.
A Videtis extremam partem nominis? caudam illam Verris tanquam in luto demerſam eſſe in litura.

In ſpongiam incumbere. De ſua Ajace, deleta ſcilicet, dixit *Auguſt. Cæſar* apud *Sueton. c.* 85. Scribentibus enim, ad caſtiganda ſcripta, ſemper ſpongia erat ad manum; quam totam atramento imbuebant, ut ita literas litura nigra inducerent: quod Auſonius expreſſit carmine ad Theonem;

Aut cunctis pariter verſibus oblinat
Fulvam lacticolor ſpongia ſepiam.

Unde eſt illud. *Mart. Epig.* 10. *lib.* 4.

—— inſtructum comitetur pumice librum
Spongia, muneribus convenit illa meis.
Non poſſunt multæ noſtros, Fauſtine, lituræ
Emendare jocos, una litura poteſt.

E quibus locis apparet, talem fuiſſe ſpongiæ uſum, non ita multis obſervatum. Alioqui ſpongia ſola ſine atramento deleri poterant literæ è pugillaribus, & gypſos ut hodieque facimus adſperſa ſaliva, de quo ita *Varro.*

Sin diſplicebit tam tibi latum mare,
Tantùm parato ſpongiam, delet illud.

B Adnotavit autem Cujacius, ab optimis quibuſque ſcriptoribus pro delere dictum eſſe, ſpongia effingere. ita *Cic. pro Seſtio*, Spongia ſanguinem effingi. *Cato*: Fiſcinas ſpongia effingat *Apulejus l.* 1. Vulnus ſpongia effingens. *Livius* 39. In domo ſpongiis effingi ſolent. idem *li.* 13. *Obſerv. c.* 13.

Delere. *Cicero pro Cluent.* Digito legata delevit è cera vel è charta, opinor, deletitia, qualis eſt flava illa noſtrorum pugillarium; nam digito alioqui deleri nequiſſent. Spongia enim delet, illi (ut Varro eam vocat) ſulci cerei obduci non poſſunt; ſed tantùm literæ vel creta, vel atramento, vel carbone, vel rubrica, aut etiam ſtylo in charta deletitia ductæ, ut patet ex illo Auguſti reſponſo, dicentis, ſuam Ajacem incubuiſſe in ſpongiam, hoc eſt deletili ſpongia deletam.

Stylum vertere. *Horat. Sat.* 10. *lib.* 1.

Sæpè ſtylum vertas iterùm, quæ digna legi ſint
Scripturis. ——

Cic. 2. *Verrina.* Vertit ſtylum in tabulis ſuis. *D. Hieronym. ep. ad Domnionem.* Stultus ego, qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quæ deleret, quàm quæ ſcriberet.

Abolere peremptoriis rubricis *S. Don. Apoll. lib.* 8.

C Cancellare, Tranſverſarii lineis, ſicut cancellis inducere, inquit Nebriſſenſis. Unde fortè Cancellarius dictus, quod reſponſa, & reſcripta Principum malè ſcripta cancellet.

Inducere *Cic. l. ad Att. ep.* 15. *l.* 12. *ep.* 11. *l.* 13. *ep.* 272. *vide Florenſia Budæi.*

Expungere *Plautus Ciſtellar.*

—— ut expungatur nomen ne quid debeam.

Ita, milites expungi, & ſtipendiis militem expungere, apud *Paul. lib. penult. De re militar.* eſt militem ære diruere.

Diſpungere. *Senec. li.* 4. *Benef. c.* 31. Apud me iſtæ expenſorum, acceptorumque rationes diſpungentur.

METAPHORÆ VARIÆ.

Reperire eſt apud nonnullos Auctores Metaphoras varias, quibus exprimere conati Scriptionem, & ad eam pertinentia pauculas has collegit *Hermannus Hugo in tractatu ſuo de origine ſcribendi.*

Ita verbum Arare, apud *Qu. Attam*, eſt ſcribere. Vomer, & mucro oſſeus, ſunt ſtylus. Stadium charteum, Varroni apud Nonium eſt charta.

D Effodere, apud Ennodium eſt ſcribere. Acumina ferrea apud Prudentium, ſunt ſtyli; Cerata buxa, & æquoris hirti area, ſunt tabellæ: Arati ſulci, ſunt literæ, *lib.* περὶ ϛεφαίων de *Caſſiano Mart.*

Æquor paginæ apud Boetium. Æquor cereum, apud *Auſon.* Campus papyrinus, apud *Scalig.*

Alba melonis filia, pro charta apud *Auſon.* ut legit *Mariangel.* Fiſſipes calamus, pro penna.

Cadmi nigellæ filiæ, Notæque furvæ ſepiæ, apud eundem pro literis.

Charta virgo, Martialis alba, Ulpianus puram vocat. Charta anus, Catullo eſt veſtuta. Auſonio, opica. Sepia, & loligo, Horatio, & Perſio ſunt atramentum. Fiſtula, calamus eſt Perſio.

* SCRIPTIONIS INVENTIO, Et Origo. E

☞ *Pete nonnulla ex Loco de Literis, Tit. proximè ſequent.*

Uti literarum, ita & Scriptionis prima origo Hebræis tribuenda eſt: neque enim hæc ſine illis excogitata aliquando fuit, cùm ſe habere videantur tanquam materia, & forma unius, ejuſdemque artis, quamvis differendum non ſit, Scriptionē ad aliarum rerum, ac notarum formas uſurpari, quæ tamen vim quandam habeant literarum, mentique ſignificatione ſui illabuntur. Igitur Hebræis divinum hoc Inventum plerumque tribuitur. Eſtque in primis *Plinii* hæc ſententia *l.* 7. *c.* 56. ita loquentis: Literas arbitror ſemper fuiſſe Aſſyrias; id eſt, Hebræas, ut ego interpretor, quia Aſſyria ab Hebræis primum habitata fuit, ut nemo ignorat, etiam ſecunda ætate, à Noe uſque ad Abrahamum, & ante item quàm ipſi Hebræi vocabantur, à primis hominibus prima ætate, qui omnes Hebraicè loquebantur.

Deinde eſt eorum omnium ſententia, qui, ut idem *Plin.* ſcribit: Literas apud Syros repertas volunt, & apud Phœnices. Syria enim, ut ex Plinio notavit *Polidor. lib.* 1. *cap.* 6. dicta fuit & Aſſyria, & Phœnicia, & Palæſtina, Judæa, & Babylonia. F Verba *Plin. lib.* 5. *c.* 12. ſunt hujuſmodi: Syria quondam terrarum maxima, & plurimis diſtincta nominibus: namque Palæſtina vocabatur, qua contingit Arabes, & Judæa, & Cœle, dein Phœnice, &c. ac magis etiam meridiana, Babylonia, & ultra Armeniam, Adiabene, Aſſyria antè dicta. Cum Plinio ſtat *Xenoph. libello de Æquivocis: c. de Æquivoco Proteos*, his verbis: Tota regio, quæ eſt à Sydone ad Jaineum portum, cùm ante Aſſyria diceretur, è Phœnice nomen accepit, &c. In quæ verba ita commentatur Joann. Annius: Nini proprium nomen Aſſyrius, is ſubegit Aſiam totam, & Africam, uſque ad Libyæ terminos; hinc omnes illæ regiones à victore dictæ Aſſyria, ſicut poſtmodum inferior hæc regio, à Syro victore, dicta Syria. Euſebius autem, & in Notis ſuis Scaliger, dicunt, Syros degeneraſſe ex Chananæis, ſeu Phœnicibus, qui omnes loquebantur Hebraicè. Idem obſervat Poſtellus ad Carolum Cardinalem, Phœnices eoſdem eſſe qui dicebantur Hebræi, eſſeque eaſdem Phœnicum, & Hebræorum literas.

Eſt item eorum (qui plurimi ſunt) ſententia; qui nempè literas primas faciunt eſſe Phœnicias, hoc eſt Hebraicas, ſeu Chananæas, ut deinceps interpretabimur cum Theod. Biblian- G dro, De Origine literarum, & cum Joan. Annio interprete Beroſi, qui in Beroſi Præfatione eaſdem facit literas Chaldæas, Phœnicias, & Aſſyrias: ii autem ferè ſunt: Timo Syllographus apud Sextum Pyrrhonium:

Φοινικα σήματα Κάδμου; Lucanus
Phœnices primi (famæ ſi credimus) auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Plin. lib. 5. *c.* 12. Ipſa gens Phœnicum in gloria magna eſt literarum inventionis. *Clem. Alexand. l.* 1. *Strom.* Cadmus erat Phœnix, qui fuit Græcis literarum inventor, ut ait Euphorus, alii autem dicunt Phœnices, & Syros primos excogitaſſe literas. Nec abſimiliter ſentit *Cyril. Alexandr. lib.* 7. contra Julianum Apoſtatam. *Laurent. Valla ad lib. Tuſc. Ciceron.* laudat ejus ſententiæ teſtes, Herodotum, Herodianum, Tacitum, Rufum Feſtum. *Gyrald. Dial.* 1. *de Poet.* adfert prætereà Pompon. Milam, Zopirionem, Phornutum, Suidam; ipſeque mox addit: Sunt inter Auctores, qui Phœnicias, & Hebræas eaſdem penè fuiſſe literas tradūt, atque ab Hebræis Phœnices accepiſſe; non ab Ægyptiis, ut Tacitus credidiſſe videtur; quæ vera eſt opinio. *Theodor. Bibliand. l. De nat. ling. cap. De orig. literarum:* Plutarchus Phœ- H nicibus, ut plerique alii, adſcribit hoc inventum. Phœnices autem Hebræos intelligere videtur. Cùm enim quæſtio mota eſſet cur Alpha primum locum obtineret inter literas; reſpondet, Quia Alpha bovem ſignificat Phœnicibus, quem ipſi primum æſtimant inter res neceſſarias: Aleph autem bovem ſignificat apud Hebræos: ergo iidem ſunt Phœnices, & Hebræi. *Guilielmus Poſtellus de Phœnicum literis, in Præfat. ad Carolum Cardinalem Lotharingiæ, & cap. De priſco Phœnicum charactere:* Græcos habuiſſe uſum literarum ab Hebræis, qui iidem ſunt Phœnices, Euſebius ex nominum ratione teſtatur. Sed more Chaldaico, addito ferè ubivis ad vocabuli finem elemento A, vocabula protulerunt; verbi gratia. Alfa pro Alef, Beta pro Beth, Gamma pro Gamel ſeu Gimel, Delta pro Dalet. Denique *Joſeph. Scalig. epiſtola poſthuma ad Chriſtophorum. Puteanum, & in Explic. nummi Conſtant.*

Ex nu-

Ex numiſmatis inquit; quæ quotidie effodiuntur in partibus
A Tyri, & Sidonis, in quibus characteres illi (Phœnicii) extant ſine ulla mutatione, nam lingua Hebraica eſt, quæ uſu fuit Chananæis, hoc eſt Phœnicibus, tempore Abrahami. In *Notis item Euſeb. circa ann. orbis conditi* 1617. Phœnicii olim omnes, & Chananæi, & Hebræi uſi ſunt, adhucque Samaritani utuntur; neque aliæ in uſu fuerunt à temporibus Moyſis, uſque ad excidium templi.

Legatur Joan. Annius initio l. 1. *Not. Beroſi. Item P. Greg. Toloſ. l.* 15. *de Repub. c.* 1. *Guil. Poſtell. de liti. Phœnicum. ad Carolum Card.* & alii, quos allegat *Herm. Hugo.* ſupra.

* DIGNITAS, ET PRÆSTANTIA.

Ab Inventoribus, et Admirabilitate. In Genere.

Clarum eſt de Hebræis, apud quos primum literas viguiſſe conſtans eſt ſententia, quòd jam olim ſcriptionis admiratione capti, artem Scriptoriam appellarunt דקדוק *Dikduk* hoc eſt ſubtile inventum, ut obſervat *Pet. Gregor. l.* 16. *Artis mirab. c.* 11. & gentes plurimæ aliæ (ratæ non potuiſſe ab homine aliquotam admirandum artificium excogitari) Deo id aſſignarint. Ita enim Mercurium literarum auctorem apud Ægy-
B ptios, facit *Plutarch. l.* 9. *Convival. quæſt.* Saturnum apud Latinos pro earum inventore habitum ſcribit *D. Cypr. Mart. Tract.* 14. De idolorum vanitate. Parcis id tribuit *Hygin. lib. de fab. c.* 277. Et nos ipſi ſi ſcriptionis admirandam vim æſtimemus neſcio, an quid aliud majori admiratione dignum facilè in creatis rebus ſimus inventuri.

Quid enim magis mirum, quàm tam pauculis literis, quæ omnes omnino ſunt viginti tres, tot tam varia in omnibus linguis nomina conſtare, quæ ſibi ſingula ſunt diſſimillima? Eſſe autem vocabula adhuc ferè infinita, nondum excogitata, vel audita, quæ quilibet poteſt ſibi fabricare. Illud autem facit hanc rem ferè incredibilem, niſi oculis ipſis uſurparemus, tot & facta, & ficta eſſe vocabula, tantùm ex conſonantibus vocalium interjectu ſejunctis; quæ ſi pronuntiari poſſent ex ſolis conſonantibus facta, ſicut poſſunt ſcribi, Deus bone, quanta, quàm incredibilis novorum verborum vis in dies conflari poſſet! Una hæc res eſt, quam naturæ arcana præcipuè demirantur Clavius & Richeomus, & olim admiratus eſt *Tull. Tuſ-*
C *culana* 1. ſic exclamans: *Qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit.*

Jam verò illud etiam quàm mirum, literis viſis, & lectis nos mentem capere abſentium quantocumque temporum, & locorum intervallo; Hac namque una in re literæ ſuperant quidquid ſignorum eſſe poteſt, aut excogitari. Voces enim, quę mentem alioqui aperiunt maximè, non tamen niſi breviſſimo tempore exiſtunt, nec ad abſentes longè pertingunt: neque ferè pronuntiari poſſunt, niſi ab adſtante audiantur, quem ſæpè nollemus audire. Imagines item, quæ coloribus ferè vitam rerum ipſam nobis ob oculos ponunt, non tamen interiora nobis indicare valent: immò abſque literis eſſet, nec ſciremus ferè, qui ii eſſent, quos nobis imagines proponunt: unde & nummorum imagines literis fuere circumſcriptæ; ut eæ nempe poſteritati id ſignificarent, quod imagines proloqui non poſſent. Magna ſanè literarum vis; ut ferè miſeratione digni ſint Cabaliſtæ, qui ob haſce res, ut ſcribit *Franciſcus Venetus*, majora etiam myſteria ineſſe literis putarent, dicerentque, iis contineri 32. ſemitas
D quibus Deus creavit mundum, quod fabulatur *Rabbi Abraham, libro Zepher Jetzira*, hoc eſt, de Creatione. Numquam tamen conſenſerim cum Marco, & Colarbaſo hæreticis, qui teſte *Tertulliano lib. De præſcript.* docebant, non poſſe veniri ad veritatis cognitionem, niſi per vim literarum Alphabeti Græci, quòd Chriſtus ipſe vocaſſet ſe Alpha, & Omega; Digna Alphabetariorum ferulis capita, aut literariis nominibus, qualia fecit *Martial.* Alpha penulatorum, & Betha togatorum.

Exemplis Confirmatur.

Indos quoſdam ævo noſtro uſque adeò demiratos fuiſſe ſcribendi inventionem, refert ex Scriptoribus rerum Indicarum *Lætius Biſciola l.* 6. *Subciſiv. c.* 12. ut audito primùm Scripturæ nomine accurrerent ad papyrum loquentem audiendam, ut ipſi arbitrabantur.

Narrat *Petr. Cieza Thom.* 2. *Hiſtor. Peruan. c.* 34. Americæ incolas ab Hiſpanis ſubactos, cùm literarum uſum vidiſſent primùm, putaſſe id eſſe certiſſimum Divinitatis argumentum, quòd chartis ſcriptis occulta vox ineſſe poſſet.

Sic apud *Athenæum l.* 10. *c.* 17. Poeta quidam ſcriptionem ita admirabundus deſcribit, ut Epiſtolam vocet natura femi- E nam: Literas illius filias, mutas eas quidem, ſed quæ tamen etiam loquantur abſentibus, & à legente, ſi velit, non audiantur, etiamſi intelligantur.

Illud verò longè eſt facetiſſimum, quòd narratum ſibi à viro, quod à Religioſo, qui anno M.D.LXXI. è Braſilia redierat, ſcribit *Ludov. Richeon. in libello, quem inſcripſit, l'Adieu de l'Ame.* Mancipium quoddam Peruanum ab Europęo Nobili, qui in Braſilia tum habitabat, ablegatum eſt ad familiarem heri ſui, Nobilem item Europęum, cum fiſcinula ficuum, & literis. In via ſervus hic hero ſuo ſcilicet monoſyllabus, fructuum novitate, & dulcedine pellectus, bonam eorum partem abligurivit, literarum ſuarum ſecurus: Nobilis literis acceptis, hominem verbis accipere, ille admirari, ecquid ſciret, & verò etiam abjurare factum. Nobilis contrà adferre teſtes literas; alter contrà teſtari, literas mentiri, & eſſe inteſtabiles. Ergo mancipium cum indicibus literis remittitur ad herum ſuum. Herus diſſimulat factum. Paucis poſt diebus ſervum remittit cum ficubus, & literis numero adſcripto. Hic ratus ſibi abundè cautum ab indicio fore, literas ſub ſaxum abdit in quo ſeſſum ibat: & Jam literę, inquiebat, etiam ſi Argi, aut Lyncei ſitis, non videbitis delicias meas. Cùm hoc dicto exinanit fiſcinam, & totum ſibi de ficubus inſtruit epulum, relictis pauculis. Quod ſupererat, cum literis defert F ad Nobilem: ille numerum in literis quidem integrum, at in fiſcina dimidiatum tantum reperit. Tum denuò adoriri ſervum, manus ambas excutere, & marſupium, literarum adferre teſtimonium de numero ficuum: contrà ſervus purgare ſe, & ſacculorum oſtendere inanias, literarum fidem elevare, quas certum ſciret, nihil vel per rimas potuiſſe arbitrari, quando eas in ſaxa abdiderat: neque ante doceri potuit illiteratum mancipium, quid poſſent literæ, quàm ab hero ſuo tergum ejus totum conſcriberetur ſtylis ulmeis.

A MULTIPLICI UTILITATE.

Scriptorum Auctoritate Firmata.

Inter Græcos, D. Baſilius in illius rei laudes excurrit, *Epiſt.* 55. *ad Ambroſium:* Magna, inquit, ſemper quidem, & multa ſunt Domini noſtri dona, &c. unum verò, quod inter maxima reputari poteſt, hoc eſt, quòd quàm longiſſime propter locorum diſtantiam ſejunctis per literarum alloquium mutuò G coaleſcere dedit. Largitus eſt autem duplicem cognoſcendi modum, unum per præſentem convictum, & congreſſum, alterum per conſuetudinem literariam.

Theodoret. quoque *Cirenſis Orat.* 14. *De Provident.* non abſimiliter eſt locutus: Cùm abſentibus, inquit, verſamur, & qui longiſſimè à nobis diſtant: & cùm lingua taceat præcipuum ſermonis inſtrumentum, ejus loco inſervit manus calamo arrepto, quod agendum nobis cum amico, inſcribit chartæ, & ſermonis fit vehiculum non jam lingua, ſed manus.

Diodor. Siculus verò lib. 12. *Biblioth.* ita copioſè diſſerit de laudibus ſcriptionis, agens de legibus Charondæ: Cui tanta ingenii facultas ſuppetit, ut dignis laudibus literarum diſciplinam, inſtitutionemque ſe proſequi poſſe confidat; quibus ſolis vita defuncti viventibus commemoratur: tum quos longiſſima procul terrarum intervalla ſeparatos tenent, hi literarum ſeſe mutuis velut internuntiis ſalutant, & viſunt, cùm abſentibus amicis tamquam præſenti conſuetudine, mutuis colloquiis perfruuntur: tum ad bella, ſive inter gentes quaſcumque H ſeu inter Reges ſedanda, quid idoneum, quid magis accommodatum literarum munere poſſet excogitari; Fœderibus commendandis, pactis, conventis, promiſſis, teſtes primi acceſſuntur, cæteraque omnia, quibus ſervandis ſumma opus eſt fide, ipſis tutò commendantur, illæ commendata quæcunque excipientes, æterna integritate & inconcuſſa fide cuſtodiunt. Poſtremò ſapientiſſimorum virorum ſanctiſſimas ſententias, oracula Deorum, Philoſophorum inventa, diſciplinarum denique omnium pręcepta, ac monumenta humanarum, divinarumque rerum, ſolæ literarum ædes repoſta conſervant, atque à vetuſtatis, & temporis voracitate defenſa veluti quadam divina vi tuendo poſteris ex ordine deinceps per ſuccedentia ſæcula demum æternitati commendant.

At inter Latinos *Quint. l. c.* 7. *ſub fin.* Hic uſus eſt literarum, ait, ut cuſtodiant voces, & velut depoſitum reddant legentibus, itaque id exprimere debent, quod dicturi ſumus.

Plin. l. 13. *cap.* 11. Hujus unius rei uſu ſcimus maximè conſtare humanitatem vitæ, memoriam, ac hominum immortalitatem.

Tertullian.l. De corona militis: Literas neceſſarias confitebor, A & commercii rebus, & noſtris erga Deum ſtudiis.

Caſſiod.l. 11. *Variarum.* Scriptura humanorum actuum ſervatur fidele teſtimonium.

*Petr.Gregor.Toloſan.l.*16.*De Republ.c.*11. Divinum miraculum certè, ut 24. notis, & interdum apud aliquas nationes paucioribus, infinita vocabula, mentes diverſæ, contrariæ, actus omnium hominum, & ipſæ cogitationes poſſint efficacius, & perfectius, quàm ipſa pictura repræſentari: fiuntque ſcripturæ ad perpetuam rei memoriam; conſervat enim ſcriptura, quæ hominis memoria non poteſt complecti.

*Cælius Rhodigin.l.*4.*c.*3. Quid illa ſcribendi majeſtas, quæ tantarum rerum ſcientiam nobis comparat, vetuſtatem propagat, nil ſinit interire, & quod omnia conterit, tempus cogitur noſtris manibus ſuccumbere; Quid hoc magnificentius; quid æquè mirandum; id eſſe homini datum, in quod ne mortis quidem avida rapacitas jus ullum habeat?

Guilelm. Poſtell. de literis Phœnicum Præfat. ad Carolum Cardinalem Lotharing. Literis tanquam rei immortalitati proximæ hoc debemus, quòd conſulere aliis poſſumus, cæterique tam prudentiæ quàm ſapientiæ muneribus uti, & poſteri- B tati proſpicere.

A Vi Obligandi.

Ubi & de Imprudentia ſubſcribendi.

Literis, & Scripturæ ineſſe vim moralem obligandi, Auctor eſt *Juſtinianus, l.*3.*Inſtitut.*14.*De obligationibus:* [Obligationum ex contractu quatuor ſunt ſpecies: aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut conſenſu.] Dixi autem eſſe moralem vim. Ita enim ſcribit *Paulus Jureconſ. L.*381.*ff. De obligat. & action.* Non figura literarum, ſed oratione, quam exprimunt, obligamur? quatenus placuit, non minus valere quod ſcriptura, quam quod vocibus lingua figuratis ſignificaretur, ubi clariſſimè oſtendit, omnem illam vim ex placito eſſe hominum. Rectè autem addit, non minus valere ſcripturæ fidem quàm vocis, quia *Leg.*15.*Tit.*21.*Cod.lib.*4. ſanxit Conſtantinus Imp. quòd eandem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium. Immò *l.*8.*Cod.Tit.* 34.*Leg.*14. Meliùs quidem ſi per ſcripturam.

C Porrò hæc obligatio, quæ ex literis oritur, non eſt naturalis, ſed civilis, ut *Modeſt.in L.Obligamur,* 51. *verſu penult. De act. & §.*1.*De liter. obligat.* habet enim ſcriptura vim obligandi tantùm ex Lege civili, aut ſummum ex Jure gentium. Et optandum quidem eſſet cum *Sen.l.*3.*De Benef.* Utinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, ne pacta, conventaque ſignis impreſſis cuſtodirentur, fides potius illa ſervaret, & ęquum colens animus, &c. adhibentur ab utraque parte teſtes: ille per tabulas plurium nomina interpoſitis parariis facit, ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. O turpem humani generis, & fraudis, ac nequitiæ publicæ confeſſionem! ſed ex quo cœpit eſſe,

Nuſquam tuta fides, ——

& promiſſiones, ac pacta paſſim perfidia eludi, cæpit illud *C. l.*1.*ep.*14. *ad Att.* eſſe veriſſimum: Nervos, atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere. Optimum verò Epicharmi conſilium: Νῆφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, Sobrius eſto, & memento nulli fidere.

Quia verò tam ſtricta ex ſcripto naſcitur obligatio, non niſi præſenti, prudentique animo ad ſyngraphas, cautiones, & fiducias ſcribendas accedendum eſt: Si quis enim debere ſe D ſcripſerit, quod ſibi numeratum non eſt, inquit *Imper. l.*3. *Inſtitut.Tit.*22. *De literar.oblig.* is de pecunia minimè numerata, poſt multum temporis, exceptionem opponere non poterit. Atque adeò memorabile exemplum eſt Pulcheria Auguſta, prudentiſſima femina, fratrem ſuum Theodoſium Imp. Juniorem ab incauta, imprudentique ſyngrapharum ſubſcribendarum conſuetudine deterruit, ut de ea refert *Socrat. l.*4.*c.*22.*Theodoret.l.*5.*c.*36. *& Nicephor. Calliſt.l.* 14. *Hiſtor. Eccleſ.c.*23. his verbis: Theodoſius quòd natura apertus, & ſimplex eſſet, & omnibus benignè facere cuperet, ſæpè etiam literis, quibus minimè oportuit, ſententia earum non perſpecta, ſubſcripſit. Quæ verò ei divinitus quaſi fidelis cuſtos data erat in rebus omnibus magnifica, moderata, & ſapiens Pulcheria Auguſta, id ipſum quoque morem abſurdum coarguens, correxit. Syngrapham enim inter eum, & ſe venditæ conjugis ejus raptim compoſitam ei propoſuit, eamque ille ſcripturæ vim neſciens, confeſtim manus ſuæ annotatione confirmavit. Poſtridie ejus diei Imp. conjugem ad ſe vocavit, quam Pulcheria ſe ei reddituram plurimum negavit, emptionis libellum, ut teſtem (qui accuſari, aut reiici non poſſet) prę- E tendens, tanta illa prudentia, ac feſtivitate fuit. Atque illa negligentiam ejus arte quadam arguens, moderatione mira improvidam literarum ſubſcriptionem ſic in eo emendavit.

A VINDICATA FALSITATE CIRCA Scriptionem Admissa.

Magna jam olim, ac juſtiſſima Principum, Legumque ſeveritas extitit, in eos, qui aliorum ſcripturam cum fraude imitantur, ut apud Ægyptios ambæ iis manus amputentur, teſte *Diod.Siculo l.*1.*Biblioth.c.*6. Quod & feciſſe Claudium ſcribit *Suet.* Proclamante quodam, præcidendas falſario manus; carnificem ſtatim acciri, cum machæra, menſaque laniona flagitavit. Et vix aliquanto mitius conſuluit Alexander Severus in Tabellarium, quem, quia falſum cauſæ brevem retulerat, inciſis digitorum nervis deportavit, ut *Aventin.* ſcribit *l.*11. *Annal. Bojorum, ex Lamprid. in Alexand. Severo.*

Solitus tamen eſt Titus Veſpaſ. ſe cum amnuenſibus ſuis per ludum, jocumque certando, imitari chirographa quæcunque vidiſſet, ac ſæpè profiteri ſe maximum falſarium eſſe po- F tuiſſe, ut *Suet. in Tito.* quemadmodum & Alexis puer Attico à manibus, ſtudioſiſſimè Attici ægrotantis manum imitabatur, ne Cicero viſa aliena litera, de Attici morbo poſſet ſuſpicari, ut *Per.Vict. l.*18.*Var.c.*10. explicans illa verba *l.*7.*ep.*2.*ad Att.* Alexidis animum amabam, quòd tam propè accederet ad ſimilitudinem tuæ literæ, manum non amabam, quòd indicaret, te non valere. Sed hic aſtus pro ingenuo ſuo habendus eſt, quando ſine dolo malo adornatur, alioqui ut hujuſmodi fraudes tollerentur, temporibus Neronis Claudii, inquit *Suet.c.*17. adversùs falſarios primùm repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur, (quarum tamen aperiendarum tres occultiſſimas artes recenſet *Lucian. in Alexand.*) Et à Justiniano Imperat. graviter cautum, ne facilè comparationes literarum inſtituantur *l.*4.*Tit.*21.*De fide Inſtrument. Leg.*19.

OBJECTORUM, ſive ARGUMENTORUM Contrariorum Enodatione.

Non deſunt tamen, qui Scriptionem, ac Literariæ rei uſum elevare contendunt apud imperitos, ac tot illius mala exiſtere aſſerant, quot ſunt linguæ, quam Jacobus appellat univer- G ſitate iniquitatis, *cap.* 3. eaque re Thamum Ægypti Regem noluiſſe, ut Theutus literariam artem inveheret unà cum Geometria, Arithmetica, & Aſtrologia, quemadmodum refert *Cælius l.*22.*cap.*15.*ex Platone.*

Immò gentes quaſdam, ut narrat. *Sabell.Ennead.t.*1. penitus ſcriptionis uſu abſtinuiſſe. Et literas à Licinio Imper. vocatas eſſe virus, & publicam peſtem, ut de eo prodidit *Aurelius Victor.*

Denique videri etiam memoriæ allatum eſſe ingens deſidiæ periculum, anſamque otiandi, quando literis, chartiſque committimus, quæ memoriæ eramus mandaturi, ut non injuria admonuerit *Plaut. in Phœdro:* Literas debere eſſe non memoriæ, ſed admonitionis medicamina.

Igitur, poſſe literarum maxima eſſe damna, & incommoda, ſi quis iis abutatur, non eſt diffidendum; adeòque id eſſe nobis à majoribus argutè indicatum fabella illa Segetis Cadmeæ, è qua effloruerunt ſubitò acies duæ gladiis, haſtiſque armatæ, quę mutuis ſeſe vulneribus confecere; Cadmus enim cùm exiſtimatus fuerit literarum inventor, & ſexdecim primum elementa tradidiſſet Gręcis; hinc jactatus eſt vulgò ſe- H minaſſe dentes ſerpentum, qui ſexdecim tantùm habent omnino dentes, ex quibus natę tot pugnę, quot modo ardere non inter doctos, verum etiam inter Principes videmus frequenter, propter literas, aut libellos. Sed quid, eone dicemus exterminandas eſſe ex orbe literas tot malorum, & pugnarum cauſas; Non profectò magis, quam exſecandas hominibus linguas ob maledicentiam. Vites ebrietatem attulere, non tamen exſcindendę, ſed aqua iis propius admovenda fuit, inquiebat ille, id quod Thamo Regi, & Licinio Imp. Barbaris illi μισογραμμάτοις reſpondendum in cauſa literarum.

Laſcivum aliquod ſcriptum eſt? agatur Lacedęmonum legę, qui Archilochi libros propter obſcœnitatem condemnarunt. Hęreticum ſcriptum eſt? agatur legibus Valentiniani, & Valentis de comburendis libris hæreticorum: agatur legibus Pontificum, & Conciliorum, quibus vetitum eſt ſine Cenſura libros excudere, & malo facilis medicina, neque ampliùs erunt literę virus, aut publica peſtis. Atque ita literarum patrocinium egregiè

ſuſcepit *Bibliander l. de ratione communi ling. cap. De ſtylo,* A *& penna:* An non ſtylus acuminatus, inquit, pugionis more ſuggerit, providendum eſſe, ne quis innocens appetatur ſtylo, ne ſtringatur, neu infigatur bonis civibus, ſed adhibeatur ut gladius auctoritatis militis, qui ex imperio Ducis in hoſtes ſtringitur ad tuendam Rempublicam. Proferatur igitur ſtylus, ſtringatur in perditos homines, & ad defenſionem bonorum, &c. Neque verò Plato (qui, uti & Pythagoras, & Cicero, literarum originem ad cæleſtem naturam retulit) ſcriptionis uſum contempſit, poſtquam tam præclaros poſteritati ſcriptos libros reliquit: illud tantum voluit, ne memoriam facilè ſegneſcere ſineremus, præſidio otioſarum chartarum, ne doctiores nos eſſe cenſeremus à majori librorum copia, quàm librorum, rerumque in iis ſcriptarum ſcientia, & memoria.

Certum enim eſt, nullius omnino tantam eſſe memoriæ amplitudinem, qui omnia ita poſſit tenere, ut ſcripto complecti. Et ut tantam quis facultatem haberet, aliis tamen, iiſque quamplurimis utilitatibus hominum inſervit ſcriptura, quibus facilè tantillum labefactandæ memoriæ diſcrimen poſſit compenſari. Quænam enim ſine literis eſſent ſignificandorum ſecretorum B præſidia ſeu bello, ſeu pace. Quæ commercia exterorum, aut amicorum abſentium conſuetudo? Quænam eſſent mercimoniorum commeationes? quæ urbium, provinciarum, regnorum ſocietates? Quæ denique præteritorum temporum certa memoria, quæ ſpes nominis ad poſteros propagandi per impreſſa veſtigia virtutis;

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacbrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Illud, illud, unius ſcriptionis beneficio polliceri potuit *Flaccus.*

—— non ego te meis
Carthis inornatum ſileri,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones.

Scriptioni ergo illud debemus (quo uno Deum proximè imi- C tamur) immortalitatem.

Sed dicet quis eſſe inſigne ſcriptionis vitium, quòd, quæ ſemel ſcripſeris, ſi pœniteat, ea abs te ſcripta eſſe negare non potes, & eam ob rem M. Antonium Oratorem nullam unquam orationem ſuam literis commendaſſe, ut ſi quid pœnitendum dixiſſet, id dixiſſe ſe poſſet facilè inficiari. At econtra maximum illud eſſe ſcriptionis ornamentum, ac bonum, quòd ſi quæ dicere vis, ſcribas, non facilè ea dicturus es quorum pœniteat; eaque gratia Augustum Cæſarem, ut de eo refert *Sueton.cap.*84. neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutum eſſe unquam, niſi mediata, & compoſita oratione: ſermones quoque cum ſingulis, atque etiam cum Livia ſua graviores non niſi in ſcriptis, & è libello habuiſſe. Quo more legatos ferè, ac judices loqui ſolitos, ne exerrarent, ſcribunt *Livius, Tertull. & Cicero.*

*Livius l.*3.*Decad.*3. de Fabio Pictore. *Tertullian. Apologetic. c.*11.*Cic.Philipp.*10. aliique complures, quos laudat *Janus Gruterus in Notis ad Apocolocynth.Senecæ.* Oſtendunt igitur hæc omnia, nihil eſſe de ſumma ſcribendi utilitate, admirabi- D litateque ambigendum.

* MODI SCRIBENDI VARII APUD Varios.

In plana tabella, aut charta per lineas recta, modi ſcribendi fingi poſſunt omnino vigintiquatuor: octo in latum, octo in longum, octo in diametrum.

Primus, à ſummo dextro ad lævum, qui in latum; qui eſt, vetus Hebræorum. Secundus, à lævo ſummo ad dextrum in latum, qui jam eſt ferè omnium, præterquam Hebræorum, & Sinenſium. Tertius, ex utroque miſtus, ſed à læva incipiendo, qui fuit recentior Hebræorum, & antiquus Græcorum, ac Latinorum. Quartus, ex utroque item, miſtus, ſed à dextra incipiendo. Quintus, ab imo dextro ad lævum, in latum. Sextus, ab imo ſiniſtro ad dextrum in latum. Septimus, ex utroque miſtus, ſed à læva incipiendo. Octavus, ex utroque item miſtus, ſed à dextra inchoando. Nonus, à ſummo latere dextro in imum: Decimus, à ſummo ſiniſtro in imum, ſed hi ambo lineis perpendicularibus; qui poſtremus eſt, Indorum, Sinarum, & Æthiopum. Undecimus, à ſummo latere dextro in imum, & rurſum ab imo ad ſummum. Duodecimus, à ſummo ſiniſtro latere in imum, & rurſus ab imo in ſummum versùs, E qui eſt Gothorum. Decimus tertius, ab imo dextro ad ſummum: Decimus quartus, ab imo ſiniſtro ad ſummum, & hi ambo per lineas perpendiculares. Decimus quintus, ab imo dextro in ſummum, & rurſus à ſummo in imum perverſus. Decimus ſextus ab imo ſiniſtro in ſummum, & rurſus à ſummo in imum per verſus. Decimus ſeptimus, ab angulo dextro ſummo in imum ſiniſtrum, linea diametrali. Decimus octavus, ab angulo ſummo ſiniſtro in imum dextrum, linea item diametrali. Decimus nonus, ab angulo dextro in imum, & ab imo in ſummum rurſus per verſus. Vigeſimus ab angulo ſiniſtro in imum, & rurſus ab imo in ſummum. Vigeſimus primus, ab imo angulo dextro in ſummum ſiniſtrum, linea diametrali. Vigeſimus ſecundus, ab imo angulo lævo in ſummum dextrum, linea diametrali. Vigeſimus tertius, ab imo dextro in ſummum ſiniſtrum, & rurſus à ſiniſtro diametraliter in ſummum dextrum. Vigeſimus quartus, ab imo ſiniſtro in ſummum dextrum, & a dextro rurſus in imum ſiniſtrum diametraliter.

Ex his viginti quatuor reperio quatuor tantum fuiſſe uſurpatos; primum, ſecundum, tertium, & decimum: & ſunt ſanè F inter hos etiam modos aliqui valdè incommodi, ut mirer, vel quatuor diverſos potuiſſe placere gentibus diverſis.

Primus omnium, & antiquiſſimus eſt, Hebræorum vetus à dextra ad lævam linea recta in latum. Horum enim cum primæ ſint literæ, oportet & ſcribendi modum eſſe primum: quod eò facilius credendum eſt, quo modus ille incommodior atque imperfectior eſt, & prima quæq; ſolent eſſe incultiſſima, maximeq; rudia. Etiamſi enim Hebræorum Rabbini glorientur, ſe imitari cœlorum motum ſcribendo à dextro in ſiniſtrū; non tamen ea gratia efficient, modum illum ſcriptionis eſſe laudandum; quando & ita literæ ſcriptæ calamo, ac manu leguntur, quæ nobis ob oculos contemplandæ relinquuntur, cum à lævo ordimur ſcriptionem, & omnium animantium item primus, ac naturalis motus extrorſum explicatur, & cętera opera quoque extento brachio, non retracto inchoantur, quando denique Hebræi ipſi ſingulas literas inter ſcribendum inchoant à latere lævo in dextrum, etiam ſi ad junctionem literarum ad literas ducant à dextro in ſiniſtrum, ut acutè obſervarunt *Angelus Roccha Bibl.Vatic. & Jul.Scaliger.l.*1. *De cauſſ. lin. Lat. cap.*46. qui tamen illud affingit Hebræis, G eò ita eos ſcribere cœpiſſe, quòd prius texturam invenerint, quàm ſcripturam: textores verò primum tramę filum introrſum jaciant, coacti, non natura, quoniam dextra manu cùm incipiunt, & ſiniſtræ operam viciſſim petunt, ſic motus fuit auſpicandus. Inſignis etiam hac in re eſt Goropii fabella, qui *l.*3.*extremo Hieroglyphicon,* ait, à Cadmo Hebręos ita primum doctos eſſe prępoſterè ſcribere: ea cauſa, ut diſcerent aliquando hac ſua ſcribendi incommodiſſima ratione, Cimbros (à quibus literas nempe acceperant) in literarum quoque ſcribendarum modo eſſe imitandos. Porrò hanc ſcribendi rationem Ægyptii ab Hebręis accepere, ut *Herodot.* teſtatur *lib.*11.

Hebræorum modo veteri proximè ſucceſſit modus, quem ſupra numeravimus tertium, is nempe qui à lęva in dextram, & rurſum à dextra in lęvam tendit per verſus; quem *Nauclerus volumine primo generat.* 54. ſcribit Hebręis, traditum eſſe ab Eſdra ſcriba, quem Gręci auctore *Pauſania lib.*5. vocarunt βουστροφηδὸν, ea re, quod boves inter arandum H ab extremo ſulco convertantur in proximum ab eodem latere: atque hinc, ut id credam, etiam vehementius adducor, quòd Cadmo literarum apud Gręcos inventori dum Bœotiam conderet, bos occurrerit, quem Gręci Ἄλφα appellant, à quo primę literę nomen Ἄλφα impoſuit: ergo & à boum in arando morem induxerit ſcriptionis, quo ſtylo velut aratro fiebat in cera: hic autem modus à Gręcis deinde venerit ad priſcos Latinos, de quibus ita *Iſidorus lib.*6.*c.*14. Verſus vulgò vocati ſunt: quia ſic ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra; à ſiniſtra enim ad dextram primùm deducebant ſtylum, deinde convertebantur ab inferiore; & rurſum ad dextram versùs, quos & hodie ruſtici verſus vocant.

Tertius ſcribendi modus eſt à lęva in dextram, ſine retrogreſſione ad lęvam. Hic jam communis eſt plurimarum gentium, quia commodiſſimus, & decentiſſimus: cùm enim omnes literarum, etiam apud Hebręos, virgulę ita inchoentur, decet totam ſcriptionem ita perfici, ut eadem ſit ratio totius, & partium.

Quartus ſcribendi modus eſt Syrorum, Indorum, Æthiopū, & Sinenſium. De Syris *Andreas Maſius in Grammat. Syriaca:*